

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



Hr. Prof. Dr. jur. et phil. Ussing
K. af Dbg. Dbm. p.p.
ærbødigst
fra
Forf.

STUDIA CRITICA

IN

PLUTARCHI MORALIA.

SCRIPSIT

SOFUS CHR. LARSEN.

HAUNIÆ MDCCCLXXXIX.

IN LIBRARIA HAGERUPIANA.

TYPIS TRIERI (H. J. SCHOU).

Forsvares Lørdagen den 7. December Kl. 11 i Auditoriet Nr. 3.

STUDIA CRITICA

IN

PLUTARCHI MORALIA.

SCRIPSIT


SOFUS CHR. LARSEN.



HAUNIÆ MDCCCLXXXIX.

IN LIBRARIA HAGERUPIANA.

TYPIS TRIERI (H. J. SCHOU).



Hanc dissertationem Facultas philosophica Universitatis Hauniensis dignam iudicat, quae ad Doctoris honorem et nomen auctori comparandum publico examini subiiciatur.

A. d. XVI Kal. Mai. MDCCCLXXXIX.

Vilh. Thomsen,
Decanus Fac. phil.

PRÆFATIO.

Nulla fere exstant antiquitatis monumenta, quæ, cum tanto opere emendatione egeant, tantas sagacitati criticorum parent difficultates, quantas scripta Plutarchi moralia quæ vocantur.[1] Huius rei multæ sane ac variæ sunt causæ, partim in ipsius Plutarchi ingenio posita, partim in codicibus misere corruptis, partim in nobis ipsis. Nam qua erat clarissimus ille Chæronensis philosophus ingenii cum fertilitate tum capacitate, scripta eius prope in omnibus vitæ et scientiæ partibus æque versantur, nec parce sed ea copia, ut dubites utrum magis varietatem eorum an multitudinem pæne infinitam admireris. Itaque vel rerum omnium, quæ in his libris tractantur, pariter gnarum esse ac peritum haud mediocris est doctrinæ. Auget etiam legendi difficultatem quod Plutarchus, sermone simplici ac tenui parum contentus, molem illam rerum non tam eleganter quam copiose exposuit, oratione usus

[1]) Hoc nomen initio proprie significabat libellos XXI, qui in codice E (cf. tabula pag. 20) primum locum tenent; inde errore ad omnia scripta Plutarchi præter vitas translatum est; cf. M. Treu: Zur gesch. der überlieferung v. Plutarchs Moralia I p. XI. Programm von Waldenburg in Schlesien. 1877.

innumerabilibus comparationibus et exemplis interdum ornata et illustrata, interdum interrupta. Præterea citandi et hiatus evitandi studio (nam his nugis rhetoricis præter modum deditus erat) sæpe structura utitur contorta vel minus accurata, sæpius etiam ordine verborum artificioso et a vulgata scriptorum consuetudine abhorrente. Quæ omnia certe ipsa per se narrationis perspicuitati nocerent, etiamsi opera eius integra et emendate tradita essent; sed infeliciter res se longe aliter habet; nam non modo codicibus utimur omni genere vitiorum præcipue lacunis pessime foedatis, verum paucissimorum[1]) adhuc scripturæ, id quod nostræ ætati recte vitio datur, plene et accurate publici factæ sunt iuris. Quod si speret quis, scripta moralia, si quando hoc opus librorum conferendorum et in familias distribuendorum absolutum sit, codicum ope longe emendatiora fore quam nunc sunt, vereor ne vehementer erret: horum operum emendatio semper multo magis e criticorum sagacitate quam e librorum bonitate pendebit. Verum ut me recte nec sine causa ita sentire ostendam, paulo accuratius de codicibus nostris dicam necesse est: qui nullius vel parvi sunt pretii, ut par est, hic prorsus omitto; qui præcipuam aliquam utilitatem habere videntur vel vetustate excellunt, hi sunt fere:

Parisini n. 1671 (A)[2]); 1672 (E); 1675 (B); 1955 (E); 1956 (D); 1957 (F).

Vindobonenses Phil. Gr. n. 129 (num. antiq. 73); 148 (num. ant. 72).

Mediolanenses Ambrosiani C. 126 inf.; C. 195 inf.; M. 82. sup.

---

[1]) Rectius fortasse scripsissem, vix unius; sed malim in eam partem peccare, quæ cautior est.

[2]) Numeri sunt catalogi bibliothecæ nationis Gallorum, litteræ Wyttenbachii.

Veneti Marciani n. 249; 250; 511.

Florentinus Riccardianus n. 45.

Horum principalem locum tenet c. Parisinus n. 1672 (E)[1]), non quod ubique reliquos præstantia superet, sed quod solus omnia scripta Plutarchi, quæ ætatem tulerunt, complectitur; vitas moralia sequuntur eo ordine, quem in indice adiecto significavi. — Quomodo ortum sit ingens hoc corpus, luculenter ostendit Treuius in libello laudato, et cum hæc quæstio ad bonam partem reliquorum codicum pertineat, operæ pretium est breviter rationes eius persequi.

Prorsus eundem scriptorum ordinem, quem E, tenent Parisinus 1671 (A)[2]) et Ambrosianus c. 126 inf.[3]), ipsi quoque in fine sæculi XIII vel initio XIV exarati; sed in his desiderantur libelli n. 70—78 (cf. tab. adiecta). — Communem originem, quæ iam propter communem ordinem communesque corruptelas veri similis est, testatur annotatio in margine codd. ad caput XXIII consolationis ad Apollonium adscripta, ex qua probabiliter concludi potest, auctorem et collectorem huius corporis (vitarum et moralium n. 1—69) fuisse Maximum Planudem, qui floruit sæculo XIII extremo.[4]) Confirmat hanc suspicionem index operum Plutarcheorum in codice Marc. Gr. n. 481 servatus et ipsius Planudis manu scriptus, qui eundem libellorum ordinem tenet iisdemque utitur inscriptionibus. Nostra exempla (A, E, Ambros. 126) non alterum ex altero transscripta sunt, sed omnia pariter ex codice ipsius manu auctoris exarato[5]); itaque suam quodque

---

[1]) Describitur accurate a Treuio loco laudato p. IV—VII.

[2]) Describitur ibid. p. VII.

[3]) Cf. Treu: Zur gesch. d. überl. v. Plutarchs Moralia III. Programm des Königl. Friedrichs-Gymnasiums zu Breslau 1884 p. 10—12.

[4]) Treu I p. XIV—XV.

[5]) Treu I p. X; III p. 11.

habet auctoritatem. Ceterum Maximum Planudem non ipsum hoc ingens corpus collegisse, sed ex alio simili transscripsisse, nihil est cur existimemus, præsertim cum vestigia exstent satis manifesta minorum collectionum, quæ ante illius ætatem in manibus erant quibusque usus est.[1]) Fortasse ex simili minore collectione libelli n. 70—76 signati originem traxerunt; certe communem habent fontem, ex quo fluxit et B et E[2]), qui soli nostrorum codicum hos libellos servarunt.[3]) Seorsum ferebantur »Quæstiones convivales« (n. 78 signatæ); harum plura exempla ætatem tulerunt, quæ omnia Doehnerus ostendit[4]) archetypum cod. Vindobonensem phil. Gr. 148 (antiq. num. 72) initio sæculi XI scriptum habere. Libellum denique de animæ procreatione in Timæo (n. 77 signatum) Treuius[5]) non sine causa suspicatur cum Platonis Timæo antiquitus in unum volumen coniungi solitum esse. — Reliquos codices exceptis Parisino 1956 (D) et Ambrosiano E 195 inf., quos postea commemorandi locus erit, brevissime perstringam, utpote qui nullum adhuc ipse viderim, sed hac in re alienis utar iudiciis. Itaque satis erit verbo commemorare, Riccardianum n. 45, quem tanto opere laudavit Hercherus[6]), ex codice Vindobenensi 129, qui sæculo XI exaratus est, fluxisse[7]); præterea Venetorum longe optimum esse et antiquissimum, in iis quos servavit libellis,

---

[1]) Treu I p. XI.

[2]) Treu: Zur gesch. d. überl. v. Plut. Mor. II. Programm d. städtischen Gymnasiums zu Ohlau 1881 p. 37—39.

[3]) Treu II p. 3—11.

[4]) Doehner: Quæstiones Plutarcheæ p. 225 (hunc librum non ipse vidi); Treu I p. XII; Carol. Wessely: Zwei Wiener Plutarchhandschriften. Wiener Studien III p. 291 seqq.

[5]) Treu II p. 4—5.

[6]) Præf. edit. p. V.

[7]) Cf. Wessely l. l. p. 292—293. Treu I p. XII; III p. 3—6.

Marcianum n. 250[1]), qui sæculum XI non excedit. Hic, Ambrosianus M. 82 sup.[2]), quocum ex communi fonte manavit Venetus n. 427[3]), Parisinus n. 1955 (C)[4]), 1956 (D)[5]), 1957 (F)[6]), 1211[7]), Athous n. 268[8]) non omnes illi quidem parem, verum tamen suam quisque habent utilitatem; certe in textu constituendo nullus eorum prætermitti aut neglegi potest, cum adhuc nesciamus, quibus quisque viis ex archetypo derivatus sit et quæ inter eos intercedat necessitudo. Ita autem adhibendi sunt, ut cavendum sit, ne cui eorum plus iusto tribuas neve singularum discrepantiis temere fidem habeas. Neque enim dubitandum, quin ad unum omnes codices Moralium plus minus interpolati sint. De quibusdam velut de Parisinis B et n. 1211 Bernardakis in præfatione[9]) editionis et Treuius[10]) rem argumentis firmarunt; in uno D, de quo diligenter egit idem vir doctus l. l. p. XVI, vehementer dissentiunt editores. Wyttenbachius scripturas eius peculiares interdum sequitur, sæpius repudiat; Duebnerus eum fere constanter ut interpolatum neglexit[11]); Herchero[12]) denique et Bernardaki recentissimis editoribus longe præ-

---

1) Treu I p. XIII—XIV; Bernardakis Præf. edit. p. XXXV seqq.
2) v. Treu III p. 10; Bernardakis l. l. p. XXXI.
3) Bernardakis l. l. p. XXXVIII.
4) Treu III p. 30—31; Bernadakis l. l. p. XXVI.
5) Bernardakis l. l. p. XVI.
6) Idem ibid. p. XXIV.
7) Idem ibid. XXVIII.
8) Idem ibid. p. XLVIII.
9) p. XXIX.
10) Treu II p. 6—7.
11) Verba eius sunt (præf. ad vol. I pag. 3. 1839): »Denique (quod maxime circumspectum reddere debebat) in antiquissimis codicum nostrorum apertissima deprehendimus audacis interpolationis specimina, plurima in D, qui nihilominus æque multas servavit sinceras scripturas et sine dubio a Plutarcho profectas.«
12) Præf. edit. p. V.

stantissimus omnium et a Duebnero iniuria in suspicionem vocatus esse videtur.[1]) Horum neque Duebnerus neque Hercherus sententias argumentis firmarunt, Bernardakis autem percommode, ut probaret opinionem suam, non exstare ullam paginam in qua lector attentus et hoc agens, quantum valeret, non intellegeret, delectum scripturarum eius discrepantium in præfatione p. 19—42 publici fecit iuris; cuius auxilio iam aliquanto certius de virtutibus et vitiis eius iudicare possumus. Equidem potius Duebneri iudicio assentior, et haud scio an etiam in iis locis, quibus solus genuina ac vera verba dare videtur, interdum magis felicibus coniecturis quam traditis scripturis diligenter servatis excellat. Certe cauti hominis est, si de interpolatione constat, potius in Duebneri partem peccare quam cum Bernardaki hunc potissimum codicem ducem sibi eligere in textu constituendo, præsertim cum ne illum quidem virum doctissimum fugerit, librum non prorsus culpa interpolationis vacare. Sed cum paucissima in eo eius modi corruptelæ exempla exstare affirmet, operæ pretium videtur demonstrare, si possumus, non nulla ex iis, quæ præstantiæ specimina affert vel in textum recipit, re accuratius deliberata haud dubiæ interpolationis indicia apparere.

Περὶ τύχης c. IV p. 99 a cod. D hæc exhibet: *ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ τεκτόνων δήπου πράγματα θνητῶν ἐστι, καὶ τὰ χαλποτύπων καὶ οἰκοδόμων καὶ ἀνδριαντοποιῶν, ἐν οἷς οὐδὲν αὐτομάτως οὐδ' ὡς ἔτυχε κατορθούμενον ὁρῶμεν· ὅτι γὰρ τούτοις βραχεῖά τις παρεμπίπτει τύχη, τὰ δὲ πλεῖστα καὶ μέγιστα τῶν ἔργων αἱ τέχναι συντελοῦσι δι' αὐτῶν καὶ οὗτος ὑποδεδήλωκε κτλ.* In reliquis idem locus sic scribitur: *ἀλλὰ—ὁρῶμεν· ὅτι γὰρ βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει χαλκοτύπῳ τε καὶ οἰκοδόμῳ, τὰ δὲ πλεῖστα κτλ.* — Harum scripturarum altera sane facilis est intellectu et

---

[1]) Bernardakis Præf. ed. p. XVI.

probabilitatis quadam specie commendatur. Sed quis nescit, hoc non satis esse? In altera illud præcipue miror, interpolatorem, si pro *τούτοις* aliud substituere voluit, parum apte verbis *χαλκοτύπῳ τε καὶ οἰκοδόμῳ* adiunxisse *σοφῷ*, quod, ni fallor, prorsus vacat, cum illa ratio non solum in prudentem opificem sed pariter in omnes, qui artem aliquam exercent, cadat. Verum etiamsi molestum est, non statim subditícium est *σοφῷ*, quod qui interpolatori tribuit, certe ostendere debet quo tandem consilio interpolator interposuerit. Omnis igitur quæstio in hoc adiectivo posita est; et si rationes afferre possumus, cur ipse Plutarchus eo potissimum usus sit, res iam transacta est, nec ulla exstat dubitatio, quin pessime hic interpolatus sit codex D. Hoc autem negotio iam diu functus est Wyttenbachius, qui, qua erat doctrina, vidit Plutarchum Epicuri verba laudasse. Eadem accuratius a Diogene Laertio X, 144 inter *κυρίας* illius *δόξας* sic citantur: *Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς διῴκηκε καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον τοῦ βίου διοικεῖ καὶ διοικήσει.* [1]) Aliorum præterea scriptorum dicta hanc Epicuri sententiam vel laudantia vel imitantia Wyttenbachius in annotatione docte, ut solet, comparavit. Sunt fortasse qui in eo hæreant, quod Plutarchus sua et Epicuri verba mirum in modum conflavit. Verum hac consuetudine sæpe in citando utitur. [2]) Has fere rationes secutus »deteriorum« codicum scripturam genuinam esse puto, nam quod aliter statuendum erat, librarium Plutarchi orationem ad Epicuri correxisse sententiam, omni caret probabilitate. Perverse rem egit Hercherus, qui ita divisit, ut cum codice D *χαλκοτύπῳ τε καὶ οἰκοδόμῳ* omitteret, cum reliquis sensu neglecto *σοφῷ* pro *τούτοις* poneret.

---

[1]) Comp. Useneri Epicurea p. 74—75, ubi eadem paulo aliter eduntur.

[2]) Exempla affert Schellens: De hiatu in Plutarchi moralibus. Bonnæ 1864 p. 23—26.

Περὶ πολυφιλίας c. II p. 93 e. In D est: *καὶ τὸ ἄλλον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον καὶ προσαγορεύειν ἑταῖρον ἕτερον οὐδέν ἐστιν ἢ μέτρῳ φιλίας τῇ δυάδι χρωμένων;* in reliquis melioris notæ: *καὶ τὸ — ἑταῖρον ὡς ἕτερον οὐδέν ἐστιν ἄλλο πλὴν μέτρῳ κτλ.* Utrumque sine dubio corruptum est, sed latius patet corruptela in D, si quidem apparet, interpolatorem vix *οὐδὲν ἄλλο πλήν,* quæ locutio et omnino et apud Plutarchum multo rarius quam *οὐδὲν ἄλλο ἢ* occurrit, positurum fuisse. Deinde vulgata scriptura prorsus illa quidem sensu cassa est, verum tamen ita, ut vestigia genuinæ haud obscura in eo lateant, cum altera deleta particula *ὡς* et *ἄλλο πλήν* in *ἢ* mutatis, ut *ἕτερον* cum *οὐδέν ἐστιν* necessario coniungas, falsam induit veritatis et sanitatis speciem nec tamen omnes scrupulos tollit, nam in prima parte ambitus huius de quo agitur (*τὸν φίλον προσαγορεύειν ἑταῖρον ἕτερον οὐδέν ἐστιν ἢ*) structura non offendit, sententia friget; in altera (*ἢ χρωμένων*) genetivus pluralis participii sententiæ et structuræ pariter repugnat. Quid ego scribendum esse censeam, infra cum ad hunc locum venero exponam. — Alius locus corruptus exstat in eiusdem libelli cap. IX p. 97 a. Cod. D hæc exhibet: *ὡς δὲ τὴν ἀσχημάτιστον οἱ φυσικοὶ καὶ ἀχρώματον οὐσίαν καὶ ὕλην λέγουσιν ὑποκειμένην καὶ τρεπομένην ὑφ' αὑτῆς, νῦν μὲν κτλ.;* reliqui pro *ὑφ' αὑτῆς* dant *ὑπ' αὐτῶν.* Quid scribendum sit, etiam post Cæsaris [1]) et Sauppii [2]) curas valde incertum mihi videtur; hoc tamen cum Wyttenbachio affirmare ausim, *ὑφ' αὑτῆς* »vehementer correctorem redolere« physicorum decretorum parum peritum. Nemo enim illorum, cuius quidem sententia hac de re constet, materiam se ipsam moventem et mutantem fecit. Participium *ὑποκειμένην,* quod sic nude positum sensu caret, ostendit manifesto excidisse aliquid.

---

[1]) Ind. lect. Marburg. 1871 p. 10—11.

[2]) Ind. lect. Goett. 1883. Hunc librum tantummodo ex censura in Bursiani Jahresberichte vol. XXX novi, id quod vehementer doleo.

Postremum breviter commemorandum, in libello qui inscribitur *Παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλ.* c. XXXIV p. 119 e solum D auctorem esse scribendi: *ἀλλ' ἴσως ὑποτυχὼν ἂν φαίης Ἀπολλώνιε φίλτατε σφόδρ' ἦν ἐπιτετευμένος*[1]) *ὁ νεανίσκος Ἀπόλλωνι καὶ μοίραις* pro vulgata: *Ἀπολλώνιος ἐν μοίραις.* Hoc vestigia genuinæ scripturæ servasse, illud coniectura niti, videor mihi demonstrasse in annotatione mea ad hunc locum. Quanquam facile pluribus exemplis ostendere possum, codicem D vel potius archetypum eius hic illic corruptissimo quoque loco ab interpolatore licenter correctum esse et Duebnerum rectius quam reliquos de eo iudicasse, hæc sufficere credo. Illud quidem, quod supra dixi, vix dubium, quin cauti et circumspecti editoris sit tali libro non nimiam habere fidem.

Hæc fere habui quæ, maximam partem ab aliis sumpta, de codicum necessitudine et condicione dicerem; nunc eo revertar, unde tota hæc disputatio profecta est. Dixi enim supra, desperandum esse, scripta moralia vel omnibus libris qui nunc exstant diligenter excussis et in familias distributis aut, si hoc minus in omnibus facere licebit, singulis recte, prout quisque vetustate et aliis virtutibus excellit, æstimatis, ideo multo fore emendatiora, quam nunc sunt. Erunt fortasse, quibus satis arroganter loqui videar, cum ipse adhuc nullum codicem Moralium inspexerim, sed et his rationes meas rem probaturas esse spero. Singulare horum librorum fatum vel hoc testatur, quod, cum longe plurima litterarum Græcarum monumenta, quorum exempla ex initio sæculi undecimi servata sunt, velut comoediarum Aristophanis, tragoediarum Aeschyli et Sophoclis, non illa quidem mendis interpolationibusque pessimis vacant, id quod nemo in operibus sæpissime lectis et descriptis sperabit, sed lacunis non

---

[1]) Qua auctoritate fretus Bernardakis *ἐπιτεταγμένος* scripserit, nescio.

admodum foedantur, hi Plutarchi libelli præter ceteras corruptelas plurimas lacunis maioribus minoribusque scatent, neque tamen pariter omnes. Librariorum neglegentiæ huius calamitatis maior pars nullo modo vitio dari potest, nam in quibusdam codicibus velut in B, E[1]), Vindobonensi n. 148[2]), Marciano 250[3]) vacuum spatium locis mancis relinquitur et nota marginalis in codice A[4]) testatur, idem iam factum esse in codicibus vetustioribus; unde probabiliter concludimus, originem lacunarum ad tempus satis antiquum esse referendam. Communem hanc fuisse omnibus scriptis moralibus iam per se consentaneum est, et in libellis n. 70—76 signatis Treuius[5]), in libello n. 78 signato Doehnerus[6]), in n. 77 Bertholdus Muellerus[7]) rem certissimis probarunt argumentis. Etiam libellos, quos ego in hac disputatione tractavi (scilicet non reliquos exceptos volo, sed eorum condicionem nondum accuratius exploravi), ex uno eodemque fonte iam mutilo et mendoso originem traxisse, ex communibus corruptelis, maxime pessima quaque et desperatissima, facile intellegitur, quamquam non semper ad litteram in omnibus consentiunt libri nostri; neque hoc necesse est, nam in eius modi corruptelis, si de vitio constat, minutæ discrepantiæ parvi faciendæ. Ne longior sim, rem singulis exemplis ex singulis libellis sumptis illustrabo.

Περὶ παίδων ἀγωγῆς c. X p. 8 b: *ἀλλὰ καὶ τούτων (τῶν συγγραμμάτων) ποιεῖσθαι συλλογὴν κατὰ τὸ γεωργῶδες. τὸν γὰρ αὐτὸν τρόπον ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστὶ*

---

[1]) Duebneri præf. p. I. Treu II p. 9—11.
[2]) Wessely l. l. p. 293.
[3]) Bernardakis l. l. p. XV.
[4]) Treu I p. X—XI.
[5]) Treu II p. 3–11.
[6]) Wessely l. l. p. 294.
[7]) Hermes Vol. IV p. 390—403.

καὶ ἀπὸ πηγῆς τὴν ἐπιστήμην τηρεῖν συμβέβηκεν. Mendum, quod manifesto in his verbis latet, ut in sequentibus locis, ubi nulla discrepantia diserte commemoratur, commune est omnium: in optimo Vindobonensi 129 post *γεωργῶδες* lacuna satis magna signatur.[1])

Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν c. II p. 16 c *τοὺς δ' Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνόμιζεν.* Etiam hæc probabilius lacuna explenda quam traditis verbis mutandis sanantur. Comp. annot. mea.

Περὶ τοῦ ἀκούειν c. XIII p. 44 b: *ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐκ φιλοσοφίας ἔφησεν αὐτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν, οὗτοι δὲ τὸ μηδὲν ἐπαινεῖν μηδὲ τιμᾶν ἐν τῷ καταφρονεῖν τιθέμενοι καὶ τὸ σεμνὸν ὑπεροψίᾳ διώκοντες.* Corrupta hæc esse nemo non intellegit; quid alii viri docti censeant, quid ego, in annotatione exposui.

Πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου c. XXXII p. 71 e: *καὶ τοῦτ' ἀληθέστατόν ἐστιν ἐπὶ τῶν ἑτέρους νουθετούντων καὶ σωφρονιζόντων λεγόμενον.* Exciderunt post *ἐστιν* vel potius post *λεγόμενον* versus aut verba quædam alius scriptoris, quæ ad illustrandam sententiam citaverat Plutarchus. Cf. annot. mea.

Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτὸν προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ c. XVII p. 85 f: *τὸ δὲ μηδὲν οἴεσθαι κατ' αἰσχύνην μέγα μηδ' ἔχειν εὐχερεὶς ποιεῖ καὶ ὀλιγώρους πρὸς τὰ μικρά.* In quibusdam est *κατ' Αἰσχύλον,* in aliis *καταισχύνειν;* reliqua vitia communia sunt, atque etiam tres illas discrepantias *κατ' αἰσχύνην, κατ' Αἰσχύλον, καταισχύνειν* ex eodem fonte fluxisse apparet; v. annot. mea.

Πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο c. III p. 87 d: *τοῦτο οὖν ὠφέλιμόν ἐστι; πάνυ μὲν οὖν . . . εὐλαβούμενον ζῆν καὶ προσέχειν ἑαυτῷ κτλ.* Sentententia manca et interrupta lacunæ tribuenda; v. annot. mea.

---

[1]) V. Wessely l. l. p. 292.

Περὶ πολυφιλίας c. II E p. 93 c *Αἴτιον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα εἰς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις κτλ.* Quibus rationibus hoc certissimum mendum homines docti sanare conati sint, exponitur in annot. mea.

Περὶ τύχης c. III p. 98 f. In omnibus libris melioris notæ exstat: *ἐμπειρίᾳ δὲ καὶ μνήμῃ καὶ σοφίᾳ καὶ τέχνῃ κατ' Ἀναξαγόραν σφῶν τε* (vel *τι*) *αὐτῶν χρώμεθα.* Quod Turnebi exemplum exhibet *σφριγῶντι αὐτῶν* certe coniectura infelici nititur. Cf. annot. mea.

Περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας c. IV p. 101 d: *ἄρτον λιτὸν ἐπὶ τυρῷ καὶ καρδάμῳ χαίρουσι καὶ ἀσμενίζουσιν ἔσθοντες;* Recte Jannotius *ἐσθίοντες*.

Παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον c. XXXI. Pessime hic membra orationis loco mota et inter se commutata sunt. Cf. Madvigii et mea annotatio.

Ὑγιεινὰ παραγγέλματα c. II p. 123 a: *τὸ δ' ἔξω στρέφοντα μετὰ τῆς θερμότητος ἕλκειν ἐπὶ πάντα καὶ διανέμειν τὴν ὕλην ὑγιεινόν.* Quomodo hoc mendum corrigendum sit, videor mihi ostendisse in annotatione mea.

Γαμικὰ παραγγέλματα c. XLVIII p. 146 a. In omnibus codicibus Plutarchi melioris notæ versus Sapphus ita scribitur:

ἔσεται· οὐ γὰρ παῖδ' ἔχεις[1]) *ῥόδων*
τῶν ἐκ Πιερίας.

Iam diu viderunt homines docti scribendum esse *πεδέχεις*. In quibusdam deterioribus est *μετέχεις*, quod certe coniectura nititur.

Τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον c. XI p. 154 e: *μετατραπεὶς δ' ὁ Χίλων ἀπεφήνατο κτλ.* Certissimum hoc vitium nondum coniectura probabili sanatum est.

Περὶ δεισιδαιμονίας c. III p. 166 a: ... *ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες κτλ.*

---

[1]) *παῖδας ἔχεις* B.

In quibusdam (neque enim certos nominare possum, cum tacite inter se discrepent editores) prave post *γόητας* additur *ἀνθρώπους;* alterum vitium *καὶ ταράττουσιν* commune est omnium codicum. Cf. annot. mea.

Si cui hæc exempla ad communem librorum nostrorum originem probandam non sufficere videntur, plura suppeditabunt notæ meæ criticæ.

Necesse est tamen, archetypum illud, quod fuisse statuo, satis longo intervallo a nostris codicibus remotum esse; aliter non tanto opere, maxime in minoribus, inter se discreparent. Ceterum et ad propositum nostrum et omnino ad criticam artem in his libellis recte exercendam non parvi mihi momenti esse videtur, eam ætatem, quantum fieri potest, arctius circumscribere, in qua archetypum, de quo agitur, scriptum esse existimemus; quod, si ex lacunis et mutila orationis condicione proficiscimur, haud difficile esse credo.

Duebnero iudice [1]) clades inde orta est, quod plurimorum scriptorum archetypum situ deletum vel vermibus exesum esset; suspicatur etiam [2]), verba aliorum, quibus sæpe utitur Plutarchus, minio fuisse picta et ideo citius evanuisse. Sed lacunæ non magis aliorum verba quam ipsius scriptoris occuparunt, et, si de codice membranaceo situ deleto vel vermibus exeso locutus est, quod non dubito, procul a vero erravit: membrana omnino non a vermibus eduntur, haud facile situ delentur. Fieri sane poterat, ut in codice lectitato et male habito primorum et ultimorum foliorum litteræ detererentur vel evanescerent; verum ea lacunarum et minorum et maiorum multitudo, qua laborant scripta moralia, in codicibus membranaceis nullam aliam causam habere

---

[1]) Præf. editionis p. 1 (1839).

[2]) Ibid.

potuit nisi manifestam vim, quam omnino parum veri simile est iis temporibus[1]) Byzantii codicibus vetustis illatam esse. Et sit veri simile. Nonne insani esset hic illic paucas litteras vel totam sententiam delere, reliqua intacta relinquere?

Nullam igitur aliam rationem inire possumus quam ut statuamus, scripta moralia plurimis illis lacunis foedata esse, cum nondum codices membranacei sed libri in chartis papyraceis scripti in usu essent. Eius modi voluminum ætas rarissime ducentos annos excedebat et vel multo iuniores sæpenumero tineis, blattis, fragilitate toti vel ex parte delebantur.[2]) Inde a sæculo quarto, præcipue autem sexto, moribus et institutis antiquæ vitæ paulatim exstinctis, volumina in codices transscribebantur.[3]) — Quare quorundam scriptorum opera vel propter miseram et laceratam condicionem multorum voluminum vetustiorum vel propter inscitiam et socordiam librariorum innumerabilia vitia et ea quibus nunquam mederi possis, contraxerunt. Inter hæc non ultimo loco scripta moralia Plutarchi nominanda sunt. Ea enim fuit sine dubio origo et prima causa magnæ partis plurimarum illarum corruptelarum, quibus etiam postea obruta sunt, nam vitium vitia gignit: locus parum intellectus lectorum et librariorum sagacitatem excitat; supplementa inepta interponuntur; hiantia neglegenter coniunguntur; pro desperatis falsæ coniecturæ licenter substituuntur: manat corruptela.[4]) Itaque fieri potest, ut illa calamitas propter

---

[1]) Sæculo octavo vel nono.

[2]) Cf. Birt: Das antike Buchwesen 1882 p. 364—366.

[3]) Ibid. p. 100—126; 369—376.

[4]) Perniciosæ huius librariorum operæ egregia exempla præbet comparatio codicum B et E, qui in n. 70—76 ex eodem fonte lacunoso fluxerunt; cf. Treu II p. 6—7; præterea duplex recensio unius libelli, quæ in codice C exstat; cf. Bernardakis Præf. p. XXVI—XXVII, comp. etiam annot. mea ad p. 152 a. Sententiæ nostræ ne condicio

difficultatem et legendi et intellegendi, quam effecit, præcipua causa fuerit, cur etiam in membranis iam antiquo tempore hi libelli satis incuriose describerentur; nam quod recte Cobetus [1]) in libro de adulatore et amico animadvertit, ‚multa esse ἐπιπολῆς et levissime depravata et ex litteris uncialibus ἐναργέστατα emendari posse', id sine dubio latius patet, id quod et Bernardakis non paucis exemplis luculenter illustravit [2]) et ego hic illic in annotationibus meis demonstrasse mihi videor.

Hæc fere habui, quæ ad sententiam tuendam dicerem; summam eorum breviter ita exponam: Codicum nostrorum pars eadem, plures sua quisque via, omnes longo circuitu ducti sunt e codice vetusto membranaceo, qui sæculo quinto vel sexto e voluminibus papyraceis et lacunosis et difficilibus lectu transscriptus erat. [3]) Hinc plurimorum mendorum origo petenda, reliquorum non pauca sed maximam partem leviora iis sæculis tribuenda, quibus litteræ unciales in usu erant, multo plura et peiora sequentibus.

Quæ si recte se habent, optimum habemus ducem et auctorem ad scripturas genuinas indagandas vel minus corruptas eligendas et sanandas non unum aliquem codicem, sed rationem, quam ita fere secutus sum, ut primum, quid dicere voluisset scriptor quanta potui diligentia intellegere conarer, deinde eam eligerem scripturam, ex qua origo mendi probabiliter explicari posset. Hoc fundamento coniecturæ

---

quidem magis integra quorundam libellorum repugnat; nam quid est, cur non credamus, fuisse quædam volumina melius quam reliqua conservata?

[1]) Mnemosyne N. S. I p. 361.

[2]) Symbolæ criticæ et palæographicæ in Plutarchi vitas parallelas et moralia. Lipsiæ 1879.

[3]) De quibusdam libellis, qui in codicibus nostris continentur, hoc non constat, sed veri simile est.

meæ nituntur; quæ utrum felices sint an non, alii iudicent. Eas in genera distribuere initio mihi propositum erat, sed cum postea reputarem, quam lubricum esset codicum vitia et virtutes, cum multis in locis scripturæ eorum nondum satis cognitæ essent, coniecturis illustrare, ab incepto destiti.

De editionibus rem paucissimis absolvam: iis, quæ egregie Treuius de Aldina[1]) et fontibus eius, Wyttenbachius[2]) recte de reliquis veteribus editionibus disputarunt, nihil habeo quod addam. Ipse Wyttenbachius Bernardakim[3]) æquum nactus est iudicem, Duebnerus Keilium.[4]) De recentissimis editoribus Hercherus[5]) in eo laudandus, quod primus diligenter hiatum ex his libellis explosit. Coniecturis non pauca minora menda emendavit, plura licenter mutavit. Editoris provinciam omnino perverse administravit, cum minorem editionem ante maïorem, quam promisit[6]), publicaret; nam qui priorum fundamenta movet novisque ingreditur viis, præter ceteros codicum scripturas, quibus nititur, publici iuris facere debet, ut omnes videant, utrum prave an recte negotium gesserit, præsertim si in iis scriptis versatur, quorum apparatus criticus nondum satis cognitus sit. Alioquin opus nascitur ænigmatum plenum, quod lectoribus

---

[1]) Ostendit III p. 15 seqq., II p. 8 eam maxima ex parte codicibus Ambros. 195 inf. et Parisino B niti; non paucæ discrepantiæ coniecturis Demetrii Ducæ, qui editoris munus administravit, debentur.

[2]) Præf. editionis Oxoniensis 1795 p. 87—89; 101—123. Eiusdem de Reiskii meritis (ibid. p. 118—134) iniquissimo iudicio minime assentior.

[3]) Præf. edit. p. V—VI.

[4]) Neue Jahrbücher für Philologie. Vol. XXXI. p. 25—39.

[5]) Plutarchi Chæronensis Moralia ex recensione Rudolfi Hercheri. Vol. I. Lipsiæ 1872.

[6]) Præf. ed. p. V.

plus molestiæ et dubitationis quam utilitatis affert.[1]) Novissime Gregorius Bernardakis[2]), qui iam antea Symbolis suis criticis bene de Plutarcho meritus est, eosdem quos Hercherus edidit libellos. Certe is, si quisquam, optime ad hoc negotium subeundum instructus erat, ut qui simul doctus, sagax, Plutarchi dicendi generis et codicum legendorum peritissimus esset. Verum infeliciter, fortasse invitus, malum Hercheri exemplum secutus is quoque minorem editionem ante maiorem, quam promittit,[3]) faciendam curavit. Neque tamen nego, editionem eius cum multis aliis rebus Hercherianæ præstare tum eo, quod minorem delectum apparatus sui in præfatione publici fecit iuris. Sed non satis est delibare codicum discrepantias, quæ tandem aliquando exhauriendæ erant, et in indice librorum eorum, quibus se usum esse dicit, ægre duo desiderantur, unus optimæ notæ Vindobonensis n. 129[4]), quem Carolus Wessely sese in usum eius contulisse affirmat[5]), alter Ambrosianus 126 inf., quem ad scripturas corporis Planudei accurate cognoscendas utilem esse auctor est Treuius.[6]) Criticum caute, fortasse, ut in scriptis corruptissimis, nimis caute egit; eum me iudice codicem D pluris iusto facere, iam supra commemoravi.[7]) Omnino ei ita pro dono eius gratias ago, ut mox plenam nobis et criticam quam vocant editionem paret.

---

[1]) Similiter de Hercheri editione iudicat H. Heinze. Philologischer Anzeiger. Vol. V p. 328—334.

[2]) Plutarchi Chæronensis Moralia recognovit Gregorius N. Bernardakis. Vol. I. Lipsiæ 1888.

[3]) Præf. edit. p. VIII.

[4]) Cf. C. Wessely l. l. 291—93.

[5]) Idem ibidem p. 291.

[6]) Treu. III p. 11.

[7]) Cf. huius præf. p. 7 seqq.

Restat, ut, si quid pro meo vendidi, quod iam ab aliis occupatum sit, deprecer. Vereor enim, ne hunc scopulum non prorsus evitaverim, cum opera quædam et ephemerides omnino non cognoscere mihi licuerit, quoniam neque in bibliothecis nostris exstant neque per bibliopolas comparari potuerunt; alia fortasse fefellerunt me. Sciunt omnes, qui in simili opere versati sunt, quam facile hoc vel diligentissimo in programmatum, disputationum, ephemeridum nimia fere copia accidere possit. Deprecor igitur, quicquid eius modi imprudens in me admisi; ego, si quis in mea inciderit, minime moleste feram:

Hanc veniam petimusque damusque vicissim.

Index scriptorum moralium.[1])

1. de virtute et vitio.
2. de educatione puerorum.
3. de profectibus in virtute.
4. de sera numinis vindicta.
5. de inimicorum utilitate.
6. de audiendis poetis.
7. de adulatore et amico.
8. de se ips. citra inv. laudando.
9. de cohibenda ira.
10. de curiositate.
11. de tranquillitate animi.
12. de vitioso pudore.
13. de fraterno amore.
14. de garrulitate.
15. de audiendo.
16. de amicorum multitudine.
17. de cupiditate divitiarum.
18. de fortuna.
19. animine an corporis affectiones sint peiores.
20. aqua an ignis utilior.
21. de superstitione.
22. consolatio ad Apollonium.
23. consolatio ad uxorem.
24. de exilio.
25. Galba.
26. Otho.
27. de gloria Atheniensium.
28. cum princ. philosoph. esse.
29. de sanitate præcepta.
30. an seni sit gerenda res publ.
31. VII sapientium convivium.
32. de Iside et Osiride.
33. de mulierum virtutibus.

---

[1]) Cf. de ordine librorum huius præf. p. 5.

34. coniugalia præcepta.
35. ad principem ineruditum.
36. de esu carnium oratt. II.
37. de fato.
38. Platonicæ quæstiones.
39. de musica.
40. Stoicos absurdiora poetis dicere.
41. Aristoph. et Menandri comparat.
42. epit. libri de animæ procr.
43. non posse suaviter vivi sec. Epicurum.
44. de latenter vivendo.
45. an vitiositas ad infelicitatem sufficiat.
46. de amore prolis.
47. de invidia et odio.
48. de unius in rep. dominatione.
49. amatoriæ narrationes.
50. quæstiones naturales.
51. de placitis philos. ll. V.
52. de virtute morali.
53. de primo frigido.
54. de Homero.
55. virtutem doceri posse.
56. de fortuna Romanorum.
57. de Alexandro s. virt. s. fort. oratt. II.
58. præcepta gerendæ rei publ.
59. regum et imp. apophthegmata.
60. apophthegmata Laconica (instituta Laconica, Lacaenarum apophthegmata).
61. parallela.
62. quæstiones Romanæ et Græcæ.
63. X oratorum vitæ.
64. bruta ratione uti.
65. de vitando ære alieno.
66. de Stoicorum repugnantiis.
67. de sollertia animalium.
68. de E apud Delphos.
69. de defectu oraculorum.
70. amatorius.
71. de facie in orbe lunæ.
72. de Pythiæ oraculis.
73. adversus Coloten.
74. de communibus notitiis.
75. de genio Socratis.
76. de Herodoti malignitate.
77. de animæ procr. in Timæo.
78. quæstionum conviv. ll. IX.

ANNOTATIONES CRITICÆ.

Περὶ παίδων ἀγωγῆς.

---

1 *b—c (cap. II).*

Καὶ μὲν δὴ τὰ φρονήματα τῶν ὑπόχαλκον καὶ κίβδηλον ἐχόντων τὸ γένος σφάλλεσθαι καὶ ταπεινοῦσθαι πέφυκε, καὶ μάλ' ὀρθῶς ὁ λέγων ποιητής φησι: sequuntur versus duo ex Euripidis Hippolyto sumpti. In postremis vocibus ordo verborum turbatus est, nam, ut nunc sunt verba scriptoris, e participio *λέγων* versus sequentes pendere statuendum; certe eius modi locutionis nec apud Plutarchum nec omnino in soluta oratione ullum exstat exemplum. Igitur scribendum puto: *λέγων ὁ ποιητής,* ut *λέγων* ex communi usu cum antecedentibus *(μάλα ὀρθῶς)* coniungatur; cf. infra 4 a: *καὶ οἱ παροιμιαζόμενοι δέ φασιν οὐκ ἀπὸ τρόπου λέγοντες ὅτι κτλ.*

3 *b.* (*cap. IV*).

καὶ περὶ μὲν ἐθῶν καὶ βίων ἀρκείτω ταῦτα. — In superioribus scriptor libelli accurate exposuit, quanti sint ad perfectam adipiscendam virtutem tria illa: indoles *(φύσις), disciplina, consuetudo (ἔθος)*; postremum exemplo Lycurgi ostendit, eadem *ingenia* varie *educata* et *exercitata* diversa

evadere. Verum sic *βίων* sese non recte habere potest, nam de vitis nihil dixit supra; menda tollitur inserendo post *βίων* eo vocabulo, quod excidit, *ἀγωγῶν*; vid. supra 3 a: *μεγάλη τοι ῥοπὴ πρὸς ἀρετῆς κύησίν ἐστιν . . . καὶ ἔθη καὶ*[1]) *διδασκαλίαι καὶ βίων ἀγωγαί*; neminem turbet, quod hic et consuetudo et institutio et educatio enumerantur, ingenium omittitur: ingenium omittitur, quod idem esse fingitur (cf. 3 b: *οὗτοι γονέων τῶν αὐτῶν ἀμφότεροι);* institutio (*διδασκαλία*) et educatio (*βίων ἀγωγή*) sunt diversæ partes totius disciplinæ *(παιδεύσεως).*

4 (*cap. VII*).

δι' ἄγνοιαν, ἔσθ' ὅτε καὶ δι' ἀπειρίαν.

ἄγνοια et *ἀπειρία* idem fere significant, hic autem manifesto diversa vitia vituperantur; itaque fortasse, ut iam antea ostendi[2]), scribendum *δι' ἄνοιαν.*

7 *d* (*cap. X*).

διὰ γὰρ ταύτην ἔστι καὶ μετὰ ταύτης γνῶναι τί τὸ καλὸν τί τὸ αἰσχρόν, τί τὸ δίκαιον τί τὸ ἄδικον, τί τὸ συλλήβδην αἱρετὸν τί φευκτόν. — Sic libri; Hercherus, quem secutus est Bernardakis, male *τό* ante *φευκτόν* interposuit, scilicet ut membrorum concinnitatem restitueret. Verum primum duo postrema membra non æque ac superiora articulum poscunt, neque enim philosophia quærit de natura eius, quod eligendum aut fugiendum est, sed ostendit, quid in singulis vitæ condicionibus eligendum aut fugiendum sit. Deinde articulus ante *συλλήβδην* neque cum *αἱρετόν* apte coniungi potest, sic enim *συλλήβδην* solum ad *αἱρετόν* trahendum erit; neque cum *συλλήβδην*, nam hoc adverbium nusquam, quantum

---

[1]) Hercheri sequor editionem.

[2]) Nord. Tidsskrift for Filologi. N. R. VII pag. 137.

scio, cum articulo coniungitur ut *πρίν* multaque alia. — His de causis articulum ante *συλλήβδην* delendum esse censeo ut errore librariorum ex superioribus repetitum. Scribendum igitur: *τί συλλήβδην αἱρετὸν τί φευκτόν.*

p. 8 a (cap. X).

τριῶν γὰρ ὄντων — πλημμελής. — Tria primum vitarum genera enumerantur, deinde de iisdem mutato ordine iudicatur; sed cum in duobus altero loco addatur accurata significatio, in tertio talem abesse posse non credo, præsertim cum hic perfacile excidere potuerit. Itaque statuo, post *ὁ μέν* inserendum esse *ἀπολαυστικός*, ut scribatur: ... *ὧν ὁ μέν ἐστι πρακτικὸς ὁ δὲ θεωρητικὸς ὁ δ'ἀπολαυστικός. ὁ μὲν ἀπολαυστικὸς ἔκλυτος κτλ.*

p. 8 f (cap. XI).

καὶ ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ παρεφορτισάμην, ἵν' ἐφεξῆς καὶ τἄλλα κτλ. — Pro *παρεφορτισάμην, ἵν' ἐφεξῆς,* quod ineptum est, scribendum esse *παρεφορτισάμην. νῦν δ'ἐφεξῆς* alio loco [1]) ostendi.

p. 8 f (cap. XII).

Κἀκεῖνό φημι, δεῖν τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ καλὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἄγειν παραινέσεσι καὶ λόγοις, μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς.

Fateor me non satis intellegere, quid hic significent *λόγοι* illi. Xylander interpretatur Latine »verbis adhortationibusque«; ita autem interpretatio Latina et textus Græcus æque obscura sunt; neque id mirum, cum vastæ et ambiguæ significationis nomen *(λόγοις)* admodum frigeat hic, ubi insigne aliquid et

---

[1]) Nord. Tidsskrift f. Filol. l. l.

definitum expectamus. Vera scriptura, quæ una littera mutata restitui potest, occurrit paulo infra: *ἔπαινοι δὲ καὶ ψόγοι πάσης εἰσὶν αἰκίας ὠφελιμώτεροι τοῖς ἐλευθέροις*. Scilicet etiam nostro loco scribendum *παραινέσεσι καὶ ψόγοις* (adhortationibus et reprehensionibus).

p. 9 b (cap. XIII).

τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν, ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον.

Hæserunt in verbis *ἵνα τῷ* iam Heumannus et Heusingerus[1]), nec minus Hercherus[2]), qui prave et licenter *ἵνα — τὸν λόγον* delenda esse censuit. Videor mihi demonstrasse[3]), scribendum esse: *τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν. ἱκανῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόογον.*

p. 10 b (cap. XIV).

Scriptor libelli postquam initio capitis XIV commemoravit, pueros comes et affabiles esse debere, et gratiam hominum sibi conciliaturos esse, si interdum in altercationibus adversariis cesserint, sic pergit: *ἃ τοίνυν τῶν εἰρημένων οὐδενὸς ἧττόν ἐστιν ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπιτηδευτέα τοῖς νέοις καὶ δὴ λεκτέον. ταῦτα δ' ἐστὶ τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν, τὸ τὴν γλῶτταν κατέχειν, τὸ τῆς ὀργῆς ὑπεράνω γίγνεσθαι, τὸ τῶν χειρῶν κρατεῖν.* Deinde horum singula persequitur exemplisque illustrat. Sed postquam reliquis locis, primo excepto, ordine inverso pertractatis, ad postremum venit, hæc verba occurrunt (p. 10 e): *τὸ τοίνυν τῆς γλώττης κρατεῖν (περὶ τούτου γάρ, ὥσπερ ὑπεθέμην, εἰπεῖν λοιπόν) εἴ τις μικρὸν κτλ.* Omittitur igitur a scriptore in locis promissis tractandis primus *(τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν).*

---

[1]) V. nota Huttenii ad h. l.

[2]) In Herm. vol. XI. pag. 228.

[3]) Nord. Tidsskrift f. Filol. l. l.

Primum notandum, ex parte C. Halmium[1]) egregie hic genuinam restituisse scripturam, cum pro ἦττον coniceret ἥττον' scribendum esse; tradita sensu carent. Quod vero idem vir doctus in correctionem iam ab Meziriaco occupatam incidens τὸ τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν scribendum esse suspicatur[2]), certe errat, neque enim coniectura eius difficultatem eam tollit, de qua supra locùtus sum. Librorum scripturæ non nihil discedunt, id quod ex editionum discrepantia colligo, nam diserte nulla varietas notatur. Hercheri et Bernardakis editiones ἀτύφωτον dant, omnes reliquæ ἀτρύφητον, utrumque ἅπαξ λεγόμενον, sed alterum (ἀτρύφητον) vel ea de causa reiciendum puto, quod scriptor huius libelli iam alio loco[3]) de corporibus puerorum firmandis exercitandisque dixit. Rem se non recte habere posse Hercherus primus vidit (nam priores editores hanc difficultatem tacite omittunt) et in annot. critica ad hunc locum mendum sic tollere conatur, ut statuat, aut librariorum aut ipsius scriptoris socordia excidisse de βίῳ ἀτυφώτῳ disputationem supra significatam. Hanc sententiam, quam ipsius fere verbis auctoris exposui, nullo modo probare possum; neque enim est cur tantam neglegentiam scriptori imputemus, ut eum disputationis, quam ipse sibi diserte tractandam proposuit, paucis versibus interiectis, oblitum esse existimemus, præsertim cum neget se tale quidquam promisisse (περὶ τούτων γάρ, ὥσπερ ὑπεθέμην, εἰπεῖν λοιπόν); neque hercle illud magis animum inducere possum, ut credam, librariorum culpa excidisse illam disputationem, nam toto hoc capite prorsus nihil est quod lacunam arguat; omnia optime cohærent;

---

[1]) Zeitschrift f. d. Altherthumswissenschaft. 1842 p. 1033.
[2]) Ibidem.
[3]) Cf. cap. XI.

quin contenderim, non esse ubi disputatio vel brevissima sine sententiæ damno interponi possit. Tota difficultas optime et facillime tollitur eiciendo illa *τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν,* quæ causa dubitationis fuit, quæque manifesto glossematis speciem præ se ferunt. Adscripta erant hæc verba in margine ad explicandum participium *τῶν εἰρημένων;* hoc *(τὰ εἰρημένα)* ad initium capitis XIV spectat, quod ipsum de *βίῳ ἀτυφώτῳ* est.[1]) Ex margine interpretamentum in orationem irrepsit, quæ origo certe causa est, quare infinitivo desit articulus, in reliquis adiectus sit.

p. 10 d (cap. XIV). ὁ μὲν γὰρ ('Αρχύτας) ἐπανελθὼν ἀπὸ τοῦ πολέμου (στρατηγῶν δ' ἐτύγχανε) γῆν καταλαβὼν κεχερσωμένην, τὸν ἐπίτροπον καλέσας αὐτῆς κτλ. Sententia perspicua est; narratur Archytas e bello reversus agrum suum propter villici socordiam et incuriam neglectum invenisse. Verum haud scio an nihilo minus locus non integer traditus sit. Quamquam enim apud vocabulum *γῆ* sæpe articulus omittitur, cum vel infinite ponitur vel universa terra significatur, ægre desideratur, ubi de certa quadam parte terræ agitur velut hoc loco de agro Archytæ. Auget lacunæ suspicionem, quod articulus, cum vim habet pronominis reflexivi, prorsus non omitti potest. Itaque credo *τήν* necessario ante *γῆν* adiciendum esse, præsertim cum hoc loco error propter litterarum similitudinem *(ΤΗΝΓΗΝ)* in promptu esset. Fieri potest, ut etiam *καὶ* exciderit ante *τήν.*

10 e (cap. XIV). ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ἐκείνων, ὥσπερ θεῶν ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι τῆς σοφίας ὄντες, ὅσαπέρ ἐστιν ἐν δυνατῷ, ταῦτα μιμεῖσθαι καὶ περικνίζειν ἐπιχειροῦμεν.

---

1) *εἶτα γε μὴν ἐντευτικοὺς κτλ.*

Paulo supra ipse docet [1]), difficilia sane esse imitatu talium virorum exempla, quales fuerint Archytas et Plato, verum tamen periculum nobis faciendum esse, quamvis illorum virtutem neque in his rebus, de quibus agitur, neque in aliis æquemus. — Satis apparet, parum apte his adhortationibus ea addi, quæ supra Græce descripsi, nam si, quantum possumus, nitimur *(ὅσαπέρ ἐστιν ἐν δυνατῷ . . . ἐπιχειροῦμεν)* re vera non erat, cur adhortaretur paulo ante; mendum in *ἐπιχειροῦμεν* latere credo, quod si in *ἐπιχειρῶμεν* mutatur, omnia quadrant: adhortatio, quæ supra, ubi de ira cohibenda dixit, proposita est, nunc infinite similitudine adiecta iteratur.

p. 11 f—12 a (cap. XV).

τοὺς μὲν οὖν τῆς ὥρας ἐπιθυμοῦντας ἀπελαύνειν προσῆκε, τοὺς δὲ τῆς ψυχῆς ἐραστὰς ἐγκρίνειν κατὰ τὸ σύνολον. καὶ τοὺς μὲν Θήβησι καὶ τοὺς Ἤλιδι φευκτέον ἔρωτας καὶ τὸν ἐν Κρήτῃ καλούμενον ἁρπαγμόν, τοὺς δ' Ἀθήνησι καὶ τοὺς ἐν Λακεδαίμονι ζηλωτέον. — Sic libri; Hercherus, quem secutus est Bernardakis, *ἐν* ante *Ἤλιδι* addidit fortasse recte, quamquam etiam urbs Eleorum interdum hoc nomine appellatur [2]); aliud vero gravius mendum subesse, non intellexisse viros doctos miror; male enim antecedentibus verba illa *κατὰ τὸ σύνολον* adiunguntur, cum eius modi locutio, quales sunt *καθόλου δέ, τὸ δ' ὅλον,* alibi semper primum locum eius sententiæ, ad quam referenda est, teneat, hic in fine posita enuntiatum antecedens circumscribat, quasi dicere voluerit scriptor, eos, qui ingenium amarent, ut omnino probandi essent ita tamen interdum removendos esse; verum hoc ineptum esse quis non videt? Certe *κατὰ τὸ σύνολον* ad sequentia referenda sunt; causa erat

---

[1]) *πειρατέον οὖν εἰς ὅσον οἷόν τ' ἐστὶ κτλ.*

[2]) Cf. Papii nomenclator Græc. tertium a Sengebusch editus s. h. v

orationis prave interpunctæ coniunctio *καί* suo loco mota, quam si ante *τοὺς μέν* deleveris et post *ἐγκρίνειν* interposueris, omnia sana erunt. Scribendum igitur: ... *ἐραστὰς ἐγκρίνειν. καὶ κατὰ τὸ σύνολον τοὺς μὲν Θήβησι κτλ.*

Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν.

---

p. 14 f (cap. I).

διὸ δεῖ μὴ μόνον ἐν ταῖς περὶ ἐδωδὴν καὶ πόσιν ἡδοναῖς διαφυλάττειν εὐσχήμονας αὐτούς, ἔτι δὲ μᾶλλον ἐν ταῖς ἀκροάσεσιν καὶ ἀναγνώσεσιν ἐθίζειν, ὥσπερ ὄψῳ χρωμένους μετρίως τῷ τέρποντι, τό χρήσιμον ἀπ' ἄὐτοῦ καὶ τὸ σωτήριον διώκειν.

Primus Bernardakis[1]) vidit, ultimam partem huius enuntiati corruptela aliqua laborare, quam recte vir doctus in *ἀπ' ἀυτοῦ* latere statuit, neque enim, ut nobis traditus est locus, constat sententiæ ratio, cum inepte utilia et salubria a delectatione petenda esse dicantur. Immo apparet, utrumque, et delectationem et utilitatem, Plutarcho iudice, fructum esse auditionis et lectionis, quarum illa (delectatio) parcius utenda, hæc persequenda sit. Hæc etiam causa erat, cur Bernardakis *ἀπ' αὐτοῦ* in *ἀπ' αὐτῶν* mutandum esse censeret, parum apte, ut mihi videtur; quin haud scio an hoc Græce ne dici quidem potuerit, vel ideo, quod pravo loco positum

---

[1]) Symbol. p. 39. Videtur tamen Xylander in interpretatione Latina coniecturam Bernardakis quodam modo occupasse; vertit enim sic: »sed magis etiam ad hoc sunt adsuefaciendi ut in lectionibus et auditionibus delectatione tanquam obsonio parce fruantur, utiliaque et salubria *ex iis* captent«.

est *ἀπ' αὐτῶν,* nam Plutarchus certe, si tale quid dicere voluisset, iusto verborum ordine servato *τὸ ἀπ' αὐτῶν χρήσιμον* scripsisset. Propius mihi videor accedere et ad litterarum traditarum ductus et ad structuram vere Græcam pro *ἀπ' αὐτοῦ* scribendo *ἀντ' αὐτοῦ ('ΑΠ'-'ΑΝΤ)*; de hac significatione præpositionis *ἀντί* comp. Plut. Mor. p. 151 e (Sept. sap. conv. c. VI); Vit. p. 376 f (Flamin. c. XIII), p. 689 d (Alex. c. XLII); p. 710 b (Cæs. c. VI); p. 838 a (C. Gracch. c. VIII).

p. 15 f (cap. I).

ὥσπερ γὰρ ὁ μανδραγόρας ταῖς ἀμπέλοις παραφυόμενος καὶ διαδοὺς τὴν δύναμιν εἰς τὸν οἶνον μαλακωτέραν ποιεῖ τὴν καταφορὰν τοῖς πίνουσιν, οὕτω τοὺς λόγους ἡ ποίησις ἐκ φιλοσοφίας ἀναλαμβάνουσα μιγνυμένους πρὸς τὸ μυθῶδες ἐλαφρὰν καὶ προσφιλῆ παρέχει τοῖς νέοις τὴν μάθησιν.

Hæc tradita est scriptura; miram verborum structuram tacite velut sanam reliquerunt omnes editores et critici, ego vix Græcam, certe ineptam esse crediderim. Pro participio passivo *μιγνυμένους,* quod admodum dure et moleste antecedentibus adiungitur (efficitur enim ea sententia, philosophiæ præcepta non ab ipsa poesi, id quod ratio requirit, sed alio modo fabulis admisceri) certe activum *(καὶ μιγνῦσα)* expectamus; non temere igitur in Xylandri interpretatione extrema verba ita reddita sunt: »sic poesis e philosophia doctrinam desumens eamque fabulis permiscens, facilem eius et gratam adolescentibus perceptionem præbet«. — Pro *μιγνύμενους* scribendum esse videtur *μιγνυμένου νοῦ;* oratio sic interpungenda: *οὕτω . . . ἀναλαμβάνουσα, μιγνυμένου νοῦ πρὸς τὸ μυθῶδες, ἐλαφρὰν κτλ.*: genetivus absolutus arctius cum sequentibus coniungendus; ad sententiam comparetur p. 37 f (De recta rat. aud. c. II): *καὶ πᾶν μάθημα καὶ ἄκουσμα*

παιδικὸν ἀπ' ἀρχῆς ἐθισθέντα προςφέρεσθαι λόγῳ φιλοσόφῳ μεμιγμένον.

p. 16 c (cap. II).

ὅθεν ὁ Σωκράτης . . . οὐ πιθανὸς ἦν οὐδ' εὐφυὴς ψευδῶν δημιουργός, τοὺς δ' Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνόμιζεν.

Hæc manifesto corrupta sunt; coniecturæ Wyttenbachii [1]) *τοὺς δ' Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνήρμοζεν,* quam miror probavisse Carol. Keilium [2]), vel verborum ordo vehementer repugnat, quem si cum Hirschigio et Herchero [3]) mutaveris, vereor, ne parum probabilis sit hæc correctio; mihi persuasum est, post *Αἰσώπου* lacunam signandam esse, quæ fortasse recte sic expletur: *τοὺς δ' Αἰσώπου λόγους οἰκείους τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνόμιζεν* ɔ: »Æsopi vero narratiunculas fabulas duxit idoneas, quas versibus suis includeret«. Vocabulum *λόγος* interdum eadem fere significatione poni, qua *μῦθος* et *αἶνος*, non pauca ostendunt exempla et aliorum scriptorum et ipsius Plutarchi velut Platonis Phæd. 60 d; Symp. 194 b; Plut. Mor. p. 156 a (Symp. VII sapientium cap. XIII); p. 164 b (ibid. cap. XXI). — Obiter notandum, hanc narrationem Plutarchum e Platonis Phædone (60 d; 61 b) sumpsisse.

p. 17 b—c (cap. II).

πάλιν αἱ περὶ τὰς νεκυίας τερατουργίαι καὶ διαθέσεις ὀνόμασι φοβεροῖς ἐνδημιουργοῦσαι φάσματα καὶ εἴδωλα ποταμῶν φλεγομε-

---

[1]) In annot. critica et in animadversionibus.

[2]) In Neue Jahrbücher für Philol. 81. Bd. p. 35.

[3]) Ille in Philologo (T. V p. 345): *τοὺς δ' Αἰσώπου μύθους ἔπεσιν ἐνήρμοζεν* scribendum esse coniecit; idem Hercherus in editione dedit, nisi quod Platonem imitatus (Phæd. p. 60 d) *ἐνέτεινεν* scripsit; hoc iam Wyttenbachio multo ante in mentem venerat; cf. verba eius in animadversionibus: »Igitur ex hoc fonte [Platonis Phædone], quando *ἐνόμιζε* vix sanum videtur, quis corrigat vel *ἐνέτεινε* vel *ἐποίησε*«; sed illud alterum prætulit.

νων καὶ τόπων ἀγρίων καὶ κολασμάτων σκυθρωπῶν οὐ πάνυ πολλοὺς διαλανθάνουσιν ὅτι τὸ μυθῶδες αὐτοῖς πολὺ καὶ τὸ ψεῦδος ὥσπερ τροφαῖς τὸ φαρμακῶδες ἐγκέκραται.

»Velut alimentis venenum!« Certe Plutarchi temporibus non magis quam nostris ita victum quotidianum veneno miscere mos erat, ut inde similitudinem capere posset. Itaque Wyttenbachio [1]) vulgatam scripturam commodam sententiam habere neganti facile assentior, coniecturam [2]) eius, de qua ipse sese antea valde dubitasse confitetur, non æque probare possum, quippe quæ non magis quam tradita scriptura ad singula verba recte interpretanda apta sit. Comparat ille quidem alium locum huius ipsius libelli (p. 16 b), quo, sicut imagines, quæ non modo lineis adumbratæ sed coloribus pictæ sint, maiorem effectum habeant, ita ea carmina, in quibus ficta et vera scite temperentur, vehementius animos commovere dicuntur; sed primum colores non immiscentur imaginibus, deinde nusquam, ut opinor, *τὸ φαρμακῶδες* de colore, id quod hic requirit sensus, ponitur. — Itaque, hoc conatu omisso, aliam medicinam probabiliorem circumspiciamus. Ratio mihi constare videretur, si alimenta non infinite posita essent, sed certa quædam indicata, quæ veneno infecta esse inter omnes constaret. Celeberrimum eius modi alimentorum exemplum apud Homerum exstat Od. X, 233 sqq., ubi Circe socios Ulixis epulo venenis infecto in sues commutasse narratur:

εἷσεν δ' εἰσαγαγοῦσα κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε
ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν
οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα. ἀνέμισγε δὲ σίτῳ
φ ά ρ μ α κ α λ ύ γ ρ', ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης.

---

[1]) In animadv.

[2]) *τροφαῖς* in *γραφαῖς* mutari iubet; hanc quoque correctionem commendavit Carol. Keilius l. l. p. 36.

neque dubito, quin Plutarchus hoc loco sicut p. 52 e (Quomodo adul. ab amico intern. cap. VII) a fabula illa similitudinem suam sumpserit, quæ, si ante *τροφαῖς* interposueris *ταῖς Κίρκης*, nullam certe præbebit difficultatem. Lacunis præter alia vitiorum genera antiquitus hos libros male foedatos esse, in præfatione ostendimus.

p. 17 c (cap. II).

ὅσοι μέντοι τὸν θάνατον ὡς οἰκτρὸν ἢ τὴν ἀταφίαν ὡς δεινὸν ὀλοφυρόμενοι καὶ δεδιότες φωνὰς ἐξενηνόχασι: sequuntur versus aliquot Homeri et duo Euripidis, deinde sic pergit: *αὗται πεπονθότων εἰσὶ καὶ προεαλωκότων ὑπὸ δόξης καὶ ἀπάτης.*

In superioribus exposuit, Homerum, Pindarum, Sophoclem poetas ne ipsos quidem formidines illas, quibus regna Plutonis exornassent, veras esse credidisse, ut facere non possimus, quin putemus, ea, quæ sequuntur, ad excusandas aliorum poetarum contrarias opiniones *(ὅσοι μέντοι . . . ἐξενηνόχασι)* dicta esse. Sed hoc nullo modo fieri posse, vel inde intellegitur, quod horum numero non minus quam illorum Homerus habetur et laudatur. Præterea apodosis non apte respondet antecedenti enuntiato relativo *(ὅσοι — ἐξενηνόχασι)*. — Scribendum pro *ὅσοι* videtur *ὅσας*, ita et oratio perspicua *(ὅσας φωνὰς ἐξενηνόχασι* [scl. poetæ] . . . *αὗται πεπονθότων εἰσι κτλ.)* restituitur et membrorum concinnitas servatur, cum enuntiatum relativum omnino de poetis, qui talia tractarunt, non de certis quibusdam dictum esse appareat.

p. 18 b (cap. III).

ἐν οἷς μάλιστα δεῖ τὸν νέον ἐθίζεσθαι, διδασκόμενον ὅτι τὴν πρᾶξιν οὐκ ἐπαινοῦμεν ἧς γέγονεν ἡ μίμησις, ἀλλὰ τὴν τέχνην εἰ μεμίμηται προσηκόντως τὸ ὑποκείμενον.

ἐθίζεσθαι ἔν τινι omnino Græce non dici posse affirmare ausim; sed etiamsi poterat, tamen initium huius verborum

ambitus vitio laborare crederem, nam certe Plutarcho non in mentem venit, iuvenes ad spectandas imagines absurdi argumenti imprimis assuefaciendos esse *(ἐν οἷς μάλιστα δεῖ τὸν νέον ἐθίζεσθαι)*, nec tamen aliud ex his verbis elici potest. Causa corruptelæ hic, ut sæpe alibi, lacuna est; sententia eorum, quæ exciderunt, facile apparet ex iis, quæ paulo infra sequuntur; ibi enim exponitur, rationem poesis *eandem* fere esse ac *picturæ*, ut lector adulescens in pravum argumentum incidens arte scriptoris, si qua est, delectari debeat, non ipsa re *(ἐπεὶ τοίνυν καὶ ποιητικὴ πολλάκις κτλ.)*. Itaque suspicor post *ἐθίζεσθαι* intercidisse aliquid, quod hoc significabat, velut *διακρίνειν*, ut ea quæ infra accuratius exposita sunt nostro loco uno verbo comprehenderentur; ita etiam facilius explicari potest, quomodo orta sit lacuna, nam cum duo vocabula ab iisdem litteris incipientia deinceps posita erant, sæpe librariorum oculi, priore omisso, ad posterius aberraverunt.

p. 20 c (cap. IV).

αἱ δὲ τῶν ποιητῶν ὑπεναντιώσεις πρὸς αὑτοὺς ἀνταναφέρουσαι τὴν πίστιν οὐκ ἐῶσιν ἰσχυρὰν ῥοπὴν γενέσθαι πρὸς τὸ βλάπτον. ὅπου μὲν οὖν αὐτοῖς τὸ τιθέναι σύνεγγυς ἐκφανεῖς ποιεῖ τὰς ἀντιλογίας, δεῖ τῷ βελτίονι συνηγορεῖν κτλ.

Infinitivus activæ formæ et præsentis temporis hinc alienissimus est; si vera est tradita scriptura, hæc verba non aliter intellegi possunt quam hoc modo: »ubi alterum alteri apponere adulescentibus *(αὐτοῖς)* ostendit, voces inter se repugnare cet.«; sed quo minus hanc amplexemur sententiam, apodosin officere apparet, requirit enim necessario infinitivum passivum et præteriti temporis, quoniam non de contrariis recte componendis iis consilium datur, qui *in posterum* versus facient, sed de eo agitur, quod iam complures in carminibus pangendis fecerunt. Scribendum igitur: *ὅπου*

μὲν οὖν αὐτοῖς τὸ τεθῆναι κτλ. i. e. »ubi alterum alteri appositum adulescentibus voces inter se repugnare ostendit cet.« Facile ad infinitivum auditur *τὰς ἀντιλογίας.* — Quod in Turn. exstat *(τῷ τιθέναι)* sine dubio coniecturæ librarii alicuius tribendum, certe sensu caret.

p. 20 e (cap. IV).

ὅσα δ' εἴρηται μὲν ἀτόπως εὐθὺς δ' οὐ λέλυται ταῦτα δεῖ τοῖς ἀλλαχόθι πρὸς τοὐναντίον εἰρημένοις ὑπ' αὐτῶν ἀνταναιρεῖν, μὴ ἀχθομένους τῷ ποιητῇ μηδὲ χαλεπαίνοντας ἀλλὰ τοῖς ἐν ἤθει καὶ μετὰ παιδιᾶς λεγομένοις. — Discrepant libri; post *ἀλλά* abest articulus ab uno deterrimo (Vulcobiano); præterea Herchero teste codex aliquis (nam ex annott. eius criticis eius modi quæstiones diiudicari non possunt) pro *λεγομένοις* dat *λεγομένους.* Manifestum loci vitium, quod subesse docent et postrema verba huius enuntiati *(ἀλλὰ — λεγομένοις),* quæ quo referenda sint non satis intellegitur, et sequens oratio *(εὐθύς, εἰ βούλει κτλ.)* aliquanto durius adiuncta, iam alii multi senserunt. — Reiskius post *λεγομένοις* excidisse aliquid velut *ἀγομένους* aut *τερπομένους* aut *ἐφεπομένους* statuit, cui quo minus assentiar, impedit vel totius loci ratio, cui non propositum est monere, ut lectores »sine offensione iis gaudeant, quæ poetæ solito more et per iocum dicant«; commemoratio eorum, quæ per iocum et solito more dicta sunt, hinc alienissima est, nam si sanus locus esset, hæc verba *(τοῖς ἐν ἤθει καὶ μετὰ παιδιᾶς λεγομένοις)* certe idem fere significarent, quod paulo supra Plutarchus *ἀτόπως εἰρημένα* appellat, quibus lectorem delectari, etiamsi per iocum dicta sint, minime cupit[1]); fugit hoc virum doctum. Wytten-

---

[1]) Quomodo iuvenes talia accipere debeant, accurate exposuit alibi (p. 26 a—b).

bachius, cum traditam scripturam ut sanam tueri conatur, in errorem non minus gravem incidit, quippe qui Latine sic interpretetur: »neque poetæ succensendum aut irascendum est, sed iis quæ moribus personisve accommodate et per iocum dicta sunt«; auditur igitur in postremis verbis ex superioribus participium *χαλεπαίνοντας*. Specie quidem hæc satis pulchra sunt, re inepta, si quidem Plutarchus nullo modo credi potest poetarum lectoribus tam ridiculum dedisse consilium, ut verbis innocentibus irascerentur, auctoribus eorum ignoscerent; huc accedit, quod, ut hanc sententiam minime commodam eliciat, textum licenter interpretari et ut ita dicam ei vim facere cogitur; nam cum intellegeret parum apte componi *ἐν ἤθει* et *μετὰ παιδιᾶς,* quasi poetæ, cum tradito more[1]) aliquid narrarent, id per iocum facerent atque risum movere studerent, finxit *ἐν ἤθει λεγόμενα* idem esse ac »dicta moribus personæ accommodata«. Sed neque vetus horum verborum interpretatio *hic* vera est, neque nova Wyttenbachii, quæ infeliciter iis ipsis locis refellitur, quos ad eam tuendam comparavit; sunt autem hi: Plut. De adulatore et amico cap. XXXVI (p. 73 e): *ἐν ἤθει καὶ μετ' εὐνοίας προσφέρεσθαι τοῖς ἁμαρτάνουσι* et Diog. Laert. VI, 10 de Anthisthene: *Ποντικοῖς γὰρ νεανίσκοις κατὰ κλέος Σωκράτους ἀφιγμένοις περιτυχὼν ἀπήγαγεν αὐτοὺς πρὸς τὸν Ἄνυτον λέγων ἐν ἤθει σοφώτερον εἶναι Σωκράτους.* [2]) Illic enim *ἐν ἤθει* vertendum est »comiter«[3]), hic »ironice« vel »per iocum«; neque Wyttenbachius hoc non intellegit, sed ut est in significationibus vocabulorum disceptandis iudicii parum acuti, miris ambagibus in animad-

---

[1]) Sic ante Wyttenbachium illud *ἐν ἤθει* vulgo versum et intellectum est.

[2]) Tertium exemplum ab Isocrate (V, 26 vel 87 d) sumptum, ubi non *ἐν ἤθει* sed simpliciter *ἦθος* exstat, ut huc non pertinens, omittimus.

[3]) Comp. quæ de hac significatione huius phrasis ipse Wyttenbachius in animadv. ad p. 66 b docte et copiose disseruit.

versionibus ad h. l. commentis suis fidem facere conatur. — E recentiorum criticorum coniecturis Emperii[1]) iis, quæ iam dixi, satis refellitur; Bernardakis in Symbolis[2]) librarium incuriosum quædam omisisse censet, quæ non admodum probabiliter ita supplet: *ἀλλὰ τοῖς λεγομένοις [ΣΥγχωροῦντας* vel *ΣΥγγιγνώσκοντας] ΕΥθὺς κτλ.*; in editione idem posuit: *ἀλλ' ἐν ἤθει καὶ μετὰ παιδιᾶς δεχομένους*; verum etiamsi eum recte articulum post *ἀλλά* delevisse credamus, tamen admodum moleste *ταῦτα* ad *δεχομένους* auditur. Hercheri denique coniecturam[3]), quippe orationem magis licenter mutantem quam corrigentem verique prorsus non similem, tacite omittere satius est. Mihi in mentem venit, fortasse scriptum fuisse: *ἀλλ' αὐτοῖς* (pro *ἀλλὰ τοῖς*) *ἐν ἤθει καὶ μετὰ παιδιᾶς διαλεγομένους*. *Διά* hic facile propter litterarum antecedentium similitudinem excidere potuit. — Præterea persuasum mihi est, delendum esse paulo supra illud *τῷ ποιητῇ*, quod certe ex ingenio inculcavit vel errore ex margine transtulit librarius, qui sententiam orationis iisdem fere iam tum corruptelis, quibus nunc foedata est, laborantis aliquid eius modi necessario flagitare intellexit; subita et molesta numeri mutatio (*ὑπ' αὐτῶν — ποιητῇ — αὐτοῖς*) interpolatorem arguit. His correctionibus orationem mihi restituisse videor; nam Plutarchus interdum specie cum scriptoribus a se laudatis, licet iam diu mortui sint, quasi altercatur, ut absurde dicta vel ex ingenio vel aliis melioribus ipsorum sententiis refutet, velut statim infra Pindarum sic alloquitur: *ἀλλ' αὐτός γε σὺ λέγεις κτλ.*, deinde Sophoclem his verbis: *καὶ μὴν σοῦ*

[1]) Is in Opusculis (Gottingæ 1847 p. 323) *ἀλλά* ante articulum (*τοῖς*) delendum esse censet.

[2]) P. 39.

[3]) Deleto is cum Vulcobiano articulum (*τοῖς*) post *ἀλλά* pro *λεγομένους* scripsit *προσφερομένους*.

γ'ἀκηκόαμεν ὡς κτλ.; cf. etiam p. 95 f. ubi laudatis versibus aliquot Euripidis sic pergit: ἀλλὰ τοῦτο μέν, ὦ Εὐριπίδη, μεταθῶμεν ἐπὶ τὰς ἔχθρας; comp. præterea p. 33 e—34 a. — Latine totum locum sic reddo ex parte Xylandri interpretationem secutus: »Quod si qua absurde dicta sunt nec statim soluta, ita refutanda sunt iis quæ in contrariam partem ab iisdem alibi dicta sunt, ut non succenseas comiterque cum iis et per iocum colloquaris.« Si sic scribimus, etiam quæ sequuntur, ab omni parte sana esse facile intellegitur, neque »deest verbum, quo sententia regatur«, ut credidit vetus aliquis librarius [1]) et post eum Reiskius, Wyttenbachius, Dobræus [2]), Duebnerus in secunda edit. 1856; auditur enim facile ex antecedentibus verbum dicendi. Tenendum autem, quod viros doctos adhuc fugisse videtur, scriptorem prius M. Sedatum [3]) his verbis alloqui: εὐθύς, εἰ βούλει, — χαλεπότητας, deinde Homerum his: οἶσθα καὶ ἄλλον κτλ. Interpretandum igitur: »Velut, si tibi videtur (M. Sedate), adversus ea, quæ Homerus . . ., ita dicamus: Scis cet.«

p. 21 b (cap. IV).

Laudatis versibus quinque tragoediæ Sophoclis, quæ iam non exstat, hæc sequuntur: ἀντιπαραθήσει (πρὸς ἐκεῖνα) πολλὰ τῶν Σοφοκλέους ὧν καὶ ταῦτ' ἐστι κτλ. Vertit Xylander, cuius vestigia omnes editores, qui Latinam subiciunt interpretationem, secuti sunt: »his multa opponet lector Sophoclea« sine dubio prave, nam neque tertia persona singularis Græce sic ponitur, ut infinite »homines« significentur, neque hic »lector« audiri potest. Quomodo fieri potuerit, ut tam

---

[1]) Cf. Wyttenbachii animadv. ad h. l.
[2]) Cf. Adversaria eius T. I p. 141 ed. Berolin. 1874.
[3]) Cf. n. mea ad p. 21 b et p. 76 c; comp. etiam p. 328 b; p. 78 e (ubi Sossium Senecionem alloquitur).

manifestum vitium omnes editores et criticos falleret, miror. Scilicet, cum in præfatione [1]) Marcum Sedatum alloquatur Plutarchus, etiam nostro loco et reliquis huius libelli, ubi nullo addito nomine certum quendam affatur velut p. 20 e [2]) et 27 f [3]), eundem virum in animo habet. Scribendum igitur una littera addita: *ἀντιπαραθήσεις πολλὰ τῶν Σοφοκλέους*, ɔ: opponere p o t e r i s multa Sophoclea; comp. Krügeri Gram. Gr. § 53, 7, 3. Add. exemplis ab eo laudatis Xenoph. Hell. II, 1, 25 *ναυμαχήσετε*; Plutarch. Quomodo quis s. in virt. s. prof. cap. I (p. 75 b) *σώσει*.

p. 24 b (cap. VI).

ὡς περὶ τῆς τύχης ἢ τῆς εἱμαρμένης λεγομένων, ἐν αἷς τὸ ἀσυλλόγιστον ἡμῖν τῆς αἰτίας καὶ ὅλως οὐ καθ' ἡμᾶς. ὅπου δὲ τὸ προσῆκον καὶ κατὰ λόγον καὶ εἰκός ἐστιν, ἐνθαῦτα κυρίως ὀνομάζεσθαι τὸν θεὸν νομίζωμεν (sic Wyttenbachius recte scribendum censet pro *νομίζομεν*, quod in omnibus codicibus est).

Vulcobianus habet *ἐν οἷς*; Herchero teste in libro nescio quo [4]) post *τῆς αἰτίας* exstat *συμβαίνεται*, quod quamquam certe ineptum interpolatorem arguit, spretis reliquorum codicum testimoniis, vestigia genuinæ scripturæ servare ratus in *συνεκφαίνεται* mutavit; præterea ante *ὅλως* articulum interposuit. Quamquam Vulcobianus non admodum fide dignus est, cum sæpe in eo scriptoris verba licenter corrupta sint,

---

[1]) Cf. p. 14 d: *Εἰ μέν, ὡς Φιλόξενος ὁ ποιητὴς ἔλεγεν, ὦ Μάρκε Σήδατε κτλ.*

[2]) Comp. n. mea supra p. 142.

[3]) *ὁρᾷς ὅτι κτλ.*

[4]) Fortasse hic liber idem est atque is, cuius auctoritate fretus Bernardakis in editione *τῆς αἰτίας σημαίνεται* scripsit, quod quamquam aptiorem sensum habet quam illud alterum, non magis genuinum esse credo; desideratur enim hoc verbo interposito ægre articulus ante *ὅλως*.

tamen eum hoc loco casu in verum incidisse, docet inter alia antecedens oratio, cui necessario arctius adiungendus est genetivus absolutus *(ὡς — λεγομένων)*, si optimorum librorum scripturam *ἐν αἷς* sequimur; ita enim subiectum participii *λεγομένων* sunt versus Homerici paulo ante ad enuntiatum relativum *ὧν ἐστι καὶ ταῦτα* illustrandum laudati; quam structuram non Græcam esse, omnes sine dubio concedent. Deinde ex sequentibus *(ὅπου δὲ κτλ.)*, quibus diserte decora et probabilia scriptoris verbis inesse dicuntur, etiam contraria (*τὰ ἄτοπα*) ibidem, non in fortuna et fato *(ἐν αἷς)* quærenda esse concludimus; aliter certe turbaretur concinnitas orationis et sententiæ. Itaque scribendum videtur audito post participium *λεγομένων* genetivo pronominis demonstrativi *τούτων*[1]: *ὡς περὶ τῆς τύχης ἢ τῆς εἱμαρμένης λεγομένων (τούτων), ἐν οἷς τὸ ἀσυλλόγιστον ἡμῖν τῆς αἰτίας καὶ ὅλως οὐ καθ' ἡμᾶς* (scil. *ἐστιν)* i. e: »cum nobis persuasum est, ea, quorum causas ratione non consequi possumus quæque omnino ab nostro ingenio et indole abhorrent, de fortuna et fato esse dicta«.

p. 24 d (cap. VI).

ἐπεὶ γὰρ οὐ μόνον ἔμφρονας παρέχεται (ἡ ἀρετὴ) καὶ δικαίους καὶ ἀγαθοὺς ἐν πράξεσι καὶ λόγοις ἀλλὰ καὶ δόξας ἐπιεικῶς καὶ δυνάμεις περιποιεῖται, οὐ παρὰ τοῦτο ποιοῦνται καὶ τὴν εὐδοξίαν ἀρετὴν καὶ τὴν[2]) *δύναμιν ὀνομάζοντες.*

Sic A. C. E. Schott. Jun. teste Wyttenbachio; *ὃν παρὰ τοῦτο* Vulcobianus; reliqui omittunt negationem ante *παρά*.

---

[1]) Comp. Madv. Synt. Gr. § 102 a et § 181 n. 4.

[2]) Articulum addidit Reiskius; in eandem certissimam emendationem postea incidit C. Halmius (Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1842 p. 1034), ceteroqui in nostro loco sanando infelix.

Recte Wyttenbachius in annotatione critica miratur in scriptura tam aperte corrupta »neminem editorem quid monuisse«; quæ idem v. d. in animadversionibus ad difficultates expediendas excogitavit, augent confusionem, non tollunt. Certe vitium aliquod latet in verbis illis *παρὰ τοῦτο ποιοῦνται*, quæ nullam idoneam explicationem permittunt et haud scio an scripserit Plutarchus *οὐδὲν παρὰ τοῦτο ποιοῦνται;* sed quid hanc phrasin significare statuam, accuratius exponendum. Sæpe occurrunt eius modi locutiones, quales sunt *τοῦτο παρ' ὀλίγον, παρὰ μικρόν, παρ' οὐδὲν ποιοῦμαι* [1]), in quibus *ποιεῖσθαι* æstimandi significationem habet; idem certe in nostra phrasi valet, cuius admodum pauca exstant exempla; nam præter ea, quæ in animadversionibns ad h. l. solita doctrina comparavit Wyttenbachius, nullum neque in lexicis neque alibi inveni; sunt autem hæc: Strab. Geogr. VI, 1, p. 254 C.: *Ἐροῦμεν δὲ κοινῶς ἃ παρειλήφαμεν, οὐδὲν παρὰ τοῦτο ποιούμενοι, τοὺς τὴν μεσόγαιαν οἰκοῦντας, Λευκανούς τε καὶ τοὺς προσεχεῖς αὐτοῖς Σαυνίτας*; ibid. XIV, 5, p. 673: *διὰ δὲ τοῦτ' αὐτὸ καὶ τὴν ἐκ τῆς Ῥοδίας γραμμήν, ἣν μέχρι τοῦ Κύδνου κατηγάγομεν, τὴν αὐτὴν ἀποφαίνομεν τῇ μέχρι Ἰσσοῦ, οὐδὲν παρὰ τοῦτο ποιούμενοι κτλ.* Inde a Casaubono illud *οὐδὲν παρὰ τοῦτο ποιούμενοι* acumen editorum et criticorum frustratum est, ut altero loco (VI, 1) etiam nexu verborum non satis intellecto perperam accusativos sequentes ex eo pendere statuerent, altero satis haberent idem licenter interpretari, ut aliquam saltem elicerent sententiam. Hoc Madvigium, qua erat sagacitate, fallere non potuit [2]), sed idem, cum et apud Strabonem et apud Plutarchum mendum interpolatori vitio daret, nimis audacter ubique *τοῦτο* deleri et præpositionem *παρά* cum verbo sequenti in unum conflari iussit. Mihi

---

[1]) Comp. Plat. res publ. VIII p. 546 d: *παρ' ἔλαττον ἡγησάμενοι.*

[2]) Advers. crit. I p. 544.

quidem parum veri simile videtur, tribus diversis locis hanc phrasin eodem vitio ita esse infectam, ut intellectu obscurior, non clarior facta sit. Itaque etiam hunc conatum relinquendum esse puto, præsertim cum alia via facilius difficultatem expedire liceat. Nam si id sequimur, quod veri simillimum est, phrasis *οὐδὲν παρὰ τοῦτο ποιεῖσθαι* necessario congruenter locutionibus eiusdem generis, de quibus paulo supra dixi, sic Latine vertenda est: »nihil hoc antiquius habere«[1]). Quæ cum in sententia profitenda vel re narranda additur, indicat, omnes reliquas sententias et narrationes excludi et reici, ut eandem fere significationem habeat ac »sine ulla mutatione«. Hoc reperto, restat ut videamus, num facile permittant hanc explicationem loci supra laudati; a Strabone incipiamus; XIV, 5 nullam habet difficultatem, si postrema verba ad *ἀποφαίνομεν* referuntur et »sine ulla mutatione« vertuntur. Alter locus (VI, 1) magis impeditus est; *ἐροῦμεν* duos regit accusativos *ἃ παρειλήφαμεν* et *τοὺς τὴν μεσόγαιαν οἰκοῦντας,* quæ verborum structura a sermone Græco prorsus non abhorret[2]); oratio ante *τοὺς* — *οἰκοῦντας* interpungenda, ut phrasis *οὐδὲν* — *ποιούμενοι* arcte cum enuntiato relativo antecedenti coniungatur in hanc fere sententiam: narrabimus coniunctim de populis qui mediam terram incolunt, ea quæ audivimus, nulla facta mutatione. Deinde redeamus tandem aliquando post necessarium hunc circuitum ad verba Plutarchi, unde profecti sumus; dicuntur enim ibi, si coniecturam nostram supra propositam sequimur, poetæ omnia præ hoc (scl. præ comparatione gloriæ et potentiæ cum virtute) nihili æstimantes (ɔ: hoc solum spectantes

---

[1]) Nos: udelukkende at fastholde dette; lægge énsidig Vægt herpaa.
[2]) Cf. Krüger. Gr. Gr. 46, 12; Plat. Apol. 23 a cum n. Stallbaumii; Crit. 48 a.

omni reliquo discrimine inter has notiones neglecto) et bonæ famæ et potentiæ nomen virtuti indidisse. Neque dubito, quin etiam alio loco Plutarchi (Quæst. symp. II, 3, 1; p. 635 e), quem ut desperatum et misere lacunis foedatum in animadversionibus comparavit Wyttenbachius, eadem medicina adhibenda sit, ut scribatur: *Ἐξ ἐνυπνίου τινὸς ἀπειχόμην ᾠῶν πολὺν ἤδη χρόνον, οὐδὲν παρὰ τοῦτο ποιούμενος* (i. e. cum studiose cuperem) *ἐν ᾠῷ καθάπερ ἐν Καρὶ διάπειραν λαβεῖν· τῆς ὄψεως ἐναργῶς μοι πολλάκις γενομένης.* Denique obiter commemorandum hiatum *περιποιεῖται*[1]), *οὐδὲν παρὰ τοῦτο* nullam habere offensionem propter interpunctionem[2]).

p. 28 a (cap. VIII).

τοιαύτην δὲ καὶ τῇ Ἑλένῃ παρρησίαν κατὰ τῆς Ἑκάβης ἐν ταῖς Τρῳάσι δίδωσιν (ὁ Εὐριπίδης), οἰομένῃ δεῖν ἐκείνην κολάζεσθαι μᾶλλον ὅτι μοιχὸν αὐτῆς ἔτεκε.

Hoc Græce dici posse, ut id intellegatur, quod hic manifesto sententia flagitat, negaverim; dativus *(αὐτῇ)* fortasse ferri potuit; verum genetivo posito articulus ante *μοιχόν* abesse non potest; aliter in incerto relinqueretur, an cum pluribus peccasset Helena. Scripsit certe Plutarchus *ὅτι τὸν μοιχὸν αὐτῆς ἔτεκε,* i. e. quod amatorem suum pepererit.

p. 28 e (cap. X).

Ἐπεὶ δὲ . . . ἐν ποιητικῇ λέξει καὶ μυθεύμασι περικεχυμένοις πολλὰ διαφεύγει τὸν νέον ὠφέλιμα καὶ χρήσιμα (δεῖ δὲ τοῦτο μὴ πάσχειν μηδ' ἀποπλανᾶσθαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ἐμφύεσθαι μάλιστα τοῖς προς ἀρετὴν φέρουσι και δυναμένοις πλάττειν τὸ ἦθος), οὐ χεῖρόν ἐστι καὶ περὶ τούτων διελθεῖν.

---

[1]) Sic Hercherus et Bernardakis; omnes reliquæ editiones *περιποιεῖ.*
[2]) Cf. Epist. Sintenisii ad H. Sauppium (Plutarchi vitæ ex recensione C. Sintenisii T. IV, p. 336—37).

Quæ in lemmate uncis rotundis inclusi, ab editoribus prorsus perverse ut interclusio orationis accipiuntur, quasi communiter de omnibus hominibus, non ipsa quoque de solis iuvenibus dicta sint. Præterquam quod eius modi interiectio hic, ut ab re alienissima, admodum friget, etiam argumentum docet[1]), scriptorem his verbis ad iuvenes, quorum educatio nondum perfecta erat, spectasse. Causa erroris erat pronomen *αὐτόν* post *πάσχειν* omissum a librario; quo interposito uncisque deletis aptissime fluit oratio; ita enim enuntiatum illud *δεῖ δὲ* — *τὸ ἦθος* protasin a coniunctione *ἐπεί* pendentem continuat et absolvit, apodosis ab *οὐ χεῖρόν ἐστι* incipit; *δέ* post *δεῖ* interpretandum e t, vel potius, cum negatione sequenti conjunctum, n e q u e; sententiarum structura prorsus similis occurrit De rect. rat. aud. c. II init., ubi comp. editio Bernardakis et Revue de philol. T. XI p. 65.

p. 33 a—b (cap. XII).

πάλιν ὁ Ἀρχίλοχος οὐκ ἐπαινεῖται λυπούμενος μὲν ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ τῆς ἀδελφῆς . . . οἴνῳ δὲ καὶ παιδιᾷ πρὸς τὴν λύπην μάχεσθαι διανοούμενος. — Sic codices sine ullo discrimine; vitium manifestum est, cum non id quæratur, utrum laudetur an non laudetur Archilochus, sed utrum id quod fecerit laude dignum sit necne. Primum in mentem mihi venit, fortasse scribendum esse *οὐκ ὀρθῶς ἐπαινεῖται.* Verum fortasse plura interciderunt, neque enim nomen eius, a quo iniuria Archilochus laudatus erat, omittere potuit Plutarchus, et participia sequentia admodum insolenter verbo *ἐπαινεῖται* adiunguntur. Alii felicioris acuminis emendationem probabilem excogitent; mihi satis sit vitium detexisse.

---

[1]) Comp. *ἐμφύεσθαι . . . τοῖς . . . δυναμένοις πλάττειν τὸ ἦθος.*

p. 34 f (cap. XIII).

— *καὶ διδάσκοντα τοὺς νέους ὄνειδος ἡγεῖσθαι καὶ λοιδορίαν τὸ ‚χρήμασιν ἄριστε' καὶ ‚δείπνοις ἄριστε' καὶ, ‚παισὶν ἢ ὑποζυγίοις ἄριστε' καὶ νὴ Δία τῷ λέγειν ἐφεξῆς ‚ἄριστε'.*

Teste Wyttenbachio a ceteris codicibus discrepant Mosc. II. et C, in quibus *τὸ λέγειν ἐφεξῆς* exstat. Diligenter et copiose de his verbis disputarunt viri de Moralibus optime meriti Wyttenbachius, Madvigius [1]), Bernardakis [2]), ut credat quis, vix quicquam aliis vel ad emendandum vel ad explicandum esse relictum. Sed cum illi, quod vehementer dolendum est, inter se discrepent, singulas sententias diligentius examinemus. Wyttenbachius, qui primus difficultates sensit, demonstravit ille quidem bene, locum adhuc ab omnibus male intellectum et prave versum esse, sed quod ipse Amyoti interpretatione Gallica deceptus putat [3]), excidisse aliquid in hanc fere sententiam: »atque adeo aliis in rebus, ne omnia deinceps recenseamus, præstantissime«, certe errat. Nam sequens oratio *δεῖ γὰρ — καὶ ἀφιλότιμος* dilucide ostendit, eius modi appellationes, quales sunt præstantissime et optime, Plutarcho iudice contumeliose usurpari, cum rebus inutilibus et nugatoriis adiungantur; si in veris virtutibus adhibeantur, ornare. In eundem fere errorem Madvigius mihi incurrere videtur, cum *ᾧ θέλεις ἐφεξῆς ἄριστε* scribendum esse censet; si ‚daretur optio', necessario iis finibus, quos supra in Wyttenbachii sententa refutanda adumbravi, non arbitrio optantis circumscripta esset. Tertius denique Bernardakis, quanquam locum sanum esse iudicat, re non admodum a duobus superioribus discrepat.

---

[1]) Advers. crit. I p. 615.
[2]) Symbol. p. 39—40.
[3]) In animadv. ad h. l.

Revocata enim paucorum codicum scriptura *τὸ λέγειν* sic locum explicandum esse censet : *καὶ νὴ Δία, εἴ τις λέγοι ἐφεξῆς (ἤγουν μετ' ἄλλο τι, ὥσπερ χρήμασιν, δείπνοις κτλ.)* ‚*ἄριστε*', i. e.: omnino si quis post aliud quid dicat *ἄριστε*, i. e.: omne dictum ubi vox *ἄριστε* subiungitur, sequitur. Sed præterquam quod hanc enarrationem non stare posse iam demonstravimus, valde dubito, an verbum hoc *ἐφεξῆς* sic nude positum illud significare non possit, quod credit Bernardakis; saltem aliis exemplis sententiam suam firmasset. Iam virorum doctorum conatibus recensitis et examinatis rem nostro Marte diiudicare experiemur. Excidisse aliquid Wyttenbachio prorsus assentior, sed quod ita enumerationem antecedentem comprehendat et absolvat, ut intra genus earum rerum cadat, quibus cum contumelia hominis appellati præstantissime adiungi possit; aliud lacunæ supplementum, ut paulo supra dixi, verba sequentia excludunt; quod si non excluderent, nulla certe causa esset, cur crederemus, Plutarchum inepte vetuisse, eius modi uti appellationibus in omnibus aliis rebus etiam bonis. His rationibus adductus sic scriptum fuisse statuo: *καὶ νὴ Δία τὸ λέγειν ἅπασι τοιούτοις ἐφεξῆς* ‚*ἄριστε*' i. e.: atque adeo in omnibus huius modi rebus addere ‚præstantissime'. De formula iurandi *νὴ Δία* ‚atque adeo' vel ‚quin etiam' significante videatur animadv. Wyttenbachii ad p. 66 a.

Περὶ τοῦ ἀκούειν.

p. 38 e (cap. III).

ταῖς μὲν οὖν ὄρνισι τὰς ὑπηνεμίους λοχείας καὶ ὠδῖνας ἀτελῶν τινων καὶ ἀψύχων ὑπολειμμάτων ἀρχὰς λέγουσιν εἶναι.

Ταῖς Wyttenbachio teste est in Coll. nov., Venet., C, D; in reliquis *τοῖς*; *ὑπολειμμάτων* dant Harleianus et D; ceteri codices et editores ante Wyttenbachium prave *ὑπολημμάτων.*[1]) Tradita scriptura bifariam offendit; primum quid hoc loco significet *ὑπηνέμιος λοχεία,* vix quisquam expediet; deinde inepte inter se comparantur *ὑπηνέμιος λοχεία καὶ ὠδίς* et *ὑπηνέμιος ὁ λόγος ἐκπίπτων*[2]), cum illa prima causa *(ἀρχή)* sit mali, hic vero ipsum malum e prava iuvenum indole et educatione ortum. Quid flagitaret sententia, intellexit Wyttenbachius admonitus[3]) verbis Aristotelis Hist. anim. VI, 2: *οἱ δὲ λέγοντες, ὅτι ὑπολείμματά ἐστι τὰ ὑπηνέμια τῶν ἔμπροσθεν ἐξ ὀχείας γινομένων, οὐκ ἀληθῆ λέγουσι* ad tuendam paucorum codicum scripturam *ὑπολειμμάτων* ab eo laudatis. Suspicatur enim scriptum fuisse: . . . *τὰς ὑπηνεμίους ὀχείας ὠδίνων ἀτελῶν τινων κτλ.,* hoc sensu: atque avibus quidem coitus ad ventum (vel conceptus e vento) causas existere dicunt partuum quorundam inanium et reliquiarum animale (!) carentium. Sed præterquam quod ad codicum vestigia propius accedere possumus, ut mox ostendam, interpretatio duobus saltem nominibus vituperanda est, primum quod sine idonea causa distrahuntur adiectiva *ἀτελῶν* et *ἀψύχων,* quæ verborum ordo ad *ὑπολειμμάτων* referenda esse ostendit; ita enim ex vocabulo *ὠδίνων* genetivi qui sequuntur pendent: ‚ . . . causas partuum inanium quorundam et animale carentium reliquiarum'. Accedit quod adiectivum *ὑπηνέμιος* prave vertitur. Equidem coniecturam egregiam viri doctissimi sic mutandam esse censeo, ut scribatur: *τὰς ὑπηνεμίους ὀχείας καὶ ὠδῖνος*

[1]) Comp. Aristot. Hist. anim. VI, 2 p. 559 b 20 sq. Bekk.
[2]) Vid. paulo infra p. 38 f.
[3]) Comp. animadv. eius ad h. l.: ‚eiusque (Aristotelis) ductu fortasse refingendum'.

ἀτελῶν τινων κτλ., i. e.: dicunt conceptus irritos[1]) etiam[2]) partum afferre reliquiarum quarundam inanium vitaque carentium *(ᾠὰ ὑπηνέμια).* Comparantur igitur iuvenes, in quibus ob ingenia vel natura vel prava educatione corrupta nullus præceptorum virorum doctorum fructus est, cum avibus propter conceptum e vento fetus imperfectos edentibus.

p. 42 d (cap. IX).

. . . ἀλλ' ὥσπερ ἐν τρίβωνι Λυσιακοῦ λόγου λεπτῷ καὶ ψιλῷ καθήμενος ἄπρακτος καὶ ἀκίνητος.

Structura est *πρὸς τὸ σημαινόμενον,* quasi in superioribus pro *ὅμοιός ἐστι μὴ βουλομένῳ* scripserit Plutarchus *ὅμοιόν τι ποιεῖ οἷον ὁ μὴ βουλόμενος.*[3]) Omnino Wyttenbachius in animadversionibus hæc verba recte explicavit exemplisque illustravit, sed hoc non magis quam reliqui editores et critici vidit, genetivum in verbis *Λυσιακοῦ λόγου* nullo modo ferri posse. Locus ad Plutarchi et reliquorum scriptorum Græcorum consuetudinem revocandus est scribendo *ὥσπερ ἐν τρίβωνι Λυσιακῷ λόγῳ . . . καθήμενος κτλ.*; cf. Madv. Synt. Gr. § 80 d n.; Plut. Mor. p. 38 c, 130 c, 147 c, 156 d, 164 e, 606 d, 712 b, 848 b, Cat. Utic. cap. XXV init. (p. 770 f).

p. 43 b (cap. X).

οὐδὲ σοὶ τοίνυν, ὦ νεανία, περὶ τοιούτων ζητημάτων ὥρα σκοπεῖν, ἀλλὰ πῶς οἰήματος καὶ ἀλαζονείας ἐρώτων τε καὶ φλυαρίας ἀπολυθεὶς εἰς βίον ἄτυφον καὶ ὑγιαίνοντα καταστήσεις σαυτόν.

---

[1]) Cf. Plut. Mor. p. 735 e, ubi usurpatur de somniis inanibus; plura exempla præbet Thesaurus Stephani.

[2]) ‚Etiam' significat hoc loco effectum causæ respondere.

[3]) Comp. Madv. Synt. Gr. § 216 n. 2.

Hæc ita fere interpretantur viri docti[1]: non est tempus tibi de his quæstionibus cogitandi, sed quo pacto fastu, arrogantia, amoribus nugisque liberatus cet. Verum partim membrorum nexus vix tolerabilis est, cum et desideretur ægre coniunctio copulativa post *ἀλαζονείας* nec tam arcte inter se cohæreant *ἔρωτες* et *φλυαρία,* ut apte *τε καί* coniungi possint, partim amorum commemoratio hinc alienissima, ubi de iis vitiis agitur, quibus adulescentes ad quæstiones difficiliores magistro proponendas impellantur. His rationibus adductus verba illa *ἐρώτων τε* ut interpretationem alienam, quæ errore in orationem irrepsit, eicienda esse puto. Ceterum miretur fortasse quis, quam tandem interpretationis alienæ speciem hæc præ se ferant, aut quidnam lector aliquis vel librarius iis illustrare voluerit. Suspicor in margine adscriptum fuisse non *ἐρώτων TЄ* sed *ἐρωτῶν TIC,* ut intellegeretur, Plutarchum verbis illis *οὐδὲ σοὶ τοίνυν, ὦ νεανία, κτλ.* adulescentem aliquem, quem sese interrogare velle animo fingeret, alloqui; et concedendum in tam subita novæ personæ allocutione interpretationem non plane a re fuisse. Eius modi lectorum annotationes non raro errore in orationem irrepsisse exemplis a Plutarcho sumptis demonstravit Cobetus Mnemosyne N. S. I, 363.

p. 44 b (cap. XIII).

ἐκεῖνος (Πυθαγόρας) μὲν γὰρ ἐκ φιλοσοφίας ἔφησεν αὑτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν · οὗτοι δὲ τὸ μηδὲν ἐπαινεῖν μηδὲ τιμᾶν ἐν τῷ καταφρονεῖν τιθέμενοι καὶ τὸ σεμνὸν ὑπεροψίᾳ διώκοντες.

Sic codices, nisi quod in Vulcobiano paucisque aliis

[1]) Velut Xylander, quem sequuntur Reiskiana editio. Wyttenbachius, Duebnerus.

deterrimæ notæ *τίθενται* exstat et solus D *μηδὲν ἐπαινεῖν* præbet, reliqui prave *μηδένα ἐπαινεῖν*. Scripturam *διώκουσιν*, quam receperunt editio Aldina, Basileensis, Reiskiana, Wyttenbachii, Huttenii, prior Duebneri, teste Wyttenbachio[1]) e codice Donati Poli sumpsit Henr. Stephanus. — Mendum manifestum[2]) viri docti certatim corrigere conati sunt, sed, ni fallor, adhuc frustra. Reiskius coniunctione *καί* ante *τὸ σεμνόν* deleta sic scribendum esse censuit: *τιθέμενοι τὸ σεμνὸν ὑπεροψίᾳ διώκουσιν*; Meziriacus aliquanto audacius sic: *οὗτοι δὲ ἐν τῷ μηδένα ἐπαινεῖν μηδὲ τιμᾶν τὸ φρονεῖν τιθέμενοι, τὸ σεμνὸν ὑπεροψίᾳ διώκουσιν*; Hercherus aliquid excidisse recte statuens post *διώκουσι* (mire enim indicativos *τίθενται, διώκουσι* retinuit) lacunæ signum posuit; Bernardakis[3]) particula *καί* post *τὸ σεμνόν* transposita veram loci medelam sibi invenisse videtur, cum sic explicat: *οὗτοι δὲ τὸ μηδένα*[4]) *ἐπαινεῖν μηδὲ τιμᾶν* (aud. *φασὶ περιγεγονέναι*), *ἐν τῷ καταφρονεῖν τιθέμενοι τὸ σεμνὸν καὶ ὑπεροψίᾳ διώκοντες* (scl. *αὐτό*); verum ita durius post *διώκοντες* auditur *αὐτό*, et postremum orationis membrum *καὶ — διώκοντες* vehementer claudicat; Madvigius[5]) denique, quid desideraretur recte ille quidem intellexit, sed quod contendit *τὸ μὴ λίαν* post *μηδὲ τιμᾶν* excidisse, vix quisquam viro egregio assentietur. Certe probabilius ego verba illa *τὸ μηδὲν θαυμάζειν* post *τιμᾶν* repetenda esse censeo; omissa sunt ab librario, cui rem non satis accurate deliberanti parum apte iterata esse videbantur. Scribendum

---

[1]) Comp. annotatio eius crit. ad h. l.

[2]) Halmius, qui e corrupta scriptura *διώκουσιν* proficiscens locum sanum esse demonstrare conatur, nemini docto rationes suas probaverit. Cf. Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1842 p. 1035.

[3]) Cf. Symbol. p. 40—41.

[4]) In editione sua idem codicem D secutus *μηδέν* scripsit.

[5]) Cf. Advers. critic. I p. 615.

igitur: ἐκεῖνος μὲν γὰρ ... τὸ μηδὲν θαυμάζειν, οὗτοι δὲ τὸ μηδὲν .. τιμᾶν, τὸ μηδὲν θαυμάζειν ἐν τῷ καταφρονεῖν τιθέμενοι κτλ.

p. 44 c (cap. XIII).

ὁ δ' ἐναντίος αὖ πάλιν τούτων μηδὲν ἐπικρίνων ἀλλὰ κατὰ ῥῆμα καὶ συλλαβὴν ἐφιστάμενος καὶ κεκραγώς, ἐλαφρός τις ὢν καὶ ὀρνεώδης, πολλάκις μὲν οὐδ' αὐτοῖς ἀρέσκει τοῖς ἀγωνιζομένοις κτλ. Ut tradita sunt hæc verba, participia ἐπικρίνων — ἐφιστάμενος — κεκραγώς necessario causam indicant, quare ne ipsis quidem oratoribus placeat ὁ ἐναντίος τούτων. Attici sermonis consuetudo requireret οὐδὲν ἐπικρίνων, non μηδὲν ἐπικρίνων; Plutarchus vero, quamquam apud eius modi participia sæpius οὐ ponit tamen non raro μή admittit. Exemplorum copiam præbet Carolus Stegmannus in libello: Ueber den Gebrauch der Negationen bei Plutarch. Programm des Progymnasiums zu Geestemünde 1882. p. 18—19. Itaque a negatione nulla est offensio; sed apparet participia illa, quæ supra enumeravi, eum virum quasi adumbrare, qui Plutarcho iudice hoc nomine, i. e. supra modum laudantis, dignus est; ita autem parum apte sine articulo appositione ad adiectivum antecedens adiunguntur. Scripsit certe Plutarchus: ὁ δ' ἐναντίος αὖ πάλιν τούτων, ὁ μηδὲν ἐπικρίνων κτλ.

p. 44 d (cap. XIII).

οὐδὲν δ' ὠφεληθεὶς διὰ τὸ ταραχώδη καὶ πολυπτόητον αὐτῷ περὶ τοὺς ἐπαίνους γεγονέναι τὴν ἀκρόασιν ἀπέρχεται τῶν τριῶν ἓν φερόμενος.

Prave interpretati sunt hunc locum Xylander, Kaltwasser omnesque alii, quorum interpretationes inspicere potui; nec mirum, est enim re vera sensu cassus, cum non appareat, quo referenda sint verba illa περὶ τοὺς ἐπαίνους

aut quid significent; excidit sine dubio post *ἐπαίνους* participium verbi alicuius studium et ardorem significantis, casu ad præcedens *αὐτῷ* accommodatum velut *σπεύδοντι*. Sic demum ratio constat. Aliud præterea levius mendum horum verborum fefellit aciem criticorum; nam aut delendus est articulus ante *τριῶν* aut ante eum interponendus genetivus pronominis demonstrativi *τούτων*. Articulum in partibus rerum numero significatis et poni et omitti, notum est; verum ubi totum illud, de cuius partibus agitur, ipsum numerus est, ut hoc loco, articulus nisi in iis, quæ vel vulgo vel aliunde satis nota sunt, ubique abest.

p. 44f (cap. XIII).

ὅπου γὰρ ἐμετοῦ τινὲς ἐγκώμια ... ἐπιδεικνύμενοι πιθανότητος οὐκ ἀμοιροῦσιν, ἦ που λόγος ὑπ' ἀνδρὸς ἀμωσγέπως δοκοῦντος ἢ καλουμένου φιλοσόφου περαινόμενος οὐκ ἂν ὅλως ἀναπνοήν τινα καὶ καιρὸν ἀκροαταῖς εὐμενέσι καὶ φιλανθρώποις παράσχοι πρὸς ἔπαινον.

Παράσχοι præbet solus D; *παρέχοι* Bongarsianus; reliqui *παρασχεῖν*. Pro omnium codicum scriptura *ἄλλως γέ πως* ponendum esse *ἀμωσγέπως* ante Madvigium[1]) vidit Reiskius; idem vir doctus sensit traditam scripturam sententiæ non satisfacere; de vitio ei in annotatione critica Wyttenbachius assentitur, sed coniectura, quam ipse proponit, æque infelix est ac Reiskii. Hic, qui deteriores codices secutus *παρασχεῖν* retinet, *οὐκ ἂν οὕτως εἴη φαῦλος, ὥστ' οὐδ' ἀναπνοήν* scribendum esse censet, Wyttenbachio omnia expediri videntur, si *ὅλως* in *ὅλος* mutetur. Neuter intellexit vel sic vocabulum *ἀναπνοήν*, ex quo certe nascuntur difficultates, offendere. *'Αναπνοήν τινι παρασχεῖν πρὸς ἔπαινον* est respirandi facultatem

---

[1]) Cf. Advers. crit. I p. 616.

alicui facere ad laudandum, quæ, si cui datur, tacitus manet et laude abstinet; contra *καιρόν τινι παρασχεῖν πρὸς ἔπαινον* est facultatem alicui dare ad laudandum; hæ locutiones in vicem se excludunt, nec ullo modo de eiusdem orationis effectu iuxta poni possunt. Hanc difficultatem leni et facili correctione sic tolli posse credo: *καί* post *τινα* delendum ut errore ex initio vocis sequentis *(καιρόν)* repetitum; pro substantivo *καιρόν* ponendum est adiectivum *καίριον*; signum interrogationis, quod post *ἔπαινον* ab omnibus fere editoribus ponitur, puncto commutandum, ut hæc sententia efficiatur: . . . certe oratio a viro, qui doctus vel habetur vel appellatur, perorata non prorsus audientibus benevolis et humanis idoneam facultatem respirandi ad laudandum fecerit, i. e. non prorsus indigna esse potest, quæ laudetur. — *Τις (τινα)* hoc loco plane articulo infinito nostri sermonis respondet cf. Plut. Mor. 45 c *καθέδρα τέ τις ἄθρυπτος καὶ ἀκλινής*; paulo aliter ponitur supra p. 44e: *νοῦν τινα ἄξιον.*

p. 47 a (cap. XVI).

καὶ γὰρ ἂν ἀδίκως ἡ ἐπιτίμησις γίγνεσθαι δοκῇ, καλὸν ἀνασχέσθαι καὶ διακαρτερῆσαι λέγοντος· παυσαμένῳ δ' αὐτὸν ἐντυχεῖν ἀπολογούμενον κτλ.

Bifariam locus corruptus est: ad genetivum absolutum *λέγοντος* subiectum nullo modo audiri potest et in sequentibus *αὐτόν* ad infinitivum *ἐντυχεῖν* adiunctum plane vacat atque adeo molestum est, cum nihil aliud significare possit nisi ipsum præsentem; accusativum in dativum mutare, ut fecit librarius cod. Vulc., vetat hiatus *(αὐτῷ-ἐντυχεῖν)*. Suspicor scriptum fuisse: . . . *διακαρτερῆσαι λέγοντος αὐτοῦ. παυσαμένῳ δ' ἐντυχεῖν κτλ.* Pronomen *αὐτοῦ,* postquam errore transpositum est, una littera mutata casu ad novum locum accommodatum est. Notandum,

pronomen *αὐτός* proprie hoc loco poni, ut significetur is, quem scriptor, quamquam eum nec diserte nominavit nec aliter commemoravit, tamen in animo habet; hunc usum a dicendi genere Plutarchi non abhorrere, ostendunt alii loci velut Mor. p. 134c *ὅθεν ἡδοναὶ μὲν ὀξεῖαι καὶ ἀτελεῖς . . . ἐν ταῖς ἀπολαύσεσι λαμβάνουσιν αὐτούς, . . .*, ibid p. 137e *καὶ τὴν καλὴν καὶ ἐράσμιον ὑγίειαν ὧν δίδωσιν ἀγαθῶν κάλλιστον ἡγουμένους διδόναι τὸ πρὸς κτῆσιν ἀρετῆς καὶ χρῆσιν ἔν τε λόγοις καὶ πράξεσιν ἀκώλυτον αὐτῶν.* Pendet altero loco genetivus pronominis a verbis *τὸ — ἀκώλυτον.*

p. 48 b (cap. XVIII).

οὗτοι μὲν οὖν κατὰ τὸν Ἱερώνυμον ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ γλίσχροι σκύλακες τὰ δέρματα δάκνοντες οἴκοι καὶ τὰ τίλματα τίλλοντες τῶν θηρίων αὐτῶν οὐχ ἅπτονται.

Wyttenbachius cum recte intellegeret, canum tenuium vel tenacium commemorationem hoc loco absurdam esse, pro *γλίσχροι* censuit scribendum esse *λίχνοι,* quod non magis aptum est. Frustra ad sententiam suam tuendam comparat Mor. p. 3 a et 225 f; ibi enim duobus canibus, cupediis aliquibus et lepore vivo in medio positis, utriuslibet petendi optio datur. Sed quæ, quæso, facultas sit canibus miseris parendi gulæ intempestivæ in pellibus feno fartis, quas iam ex multis exercitationibus in aula venatoris optime cognoverunt non vera esse animalia? Peropportune nobis hac difficultate impeditis opem fert Xenophon; ostendunt enim verba eius, quæ statim integra ponam, rectam viam, qua hic Plutarchi locus ad genuinam formam revocari potest; sunt autem hæc: Comment. III, 8, 7 *πολλάκις δὲ τὸ πρὸς δρόμον καλὸν πρὸς πάλην αἰσχρόν, τὸ δὲ πρὸς πάλην καλὸν πρὸς δρόμον αἰσχρόν*; Cyneg. VII, 9: *ἐὰν δὲ αἰσχίους ὦσι πρὸς τὸν δρόμον (αἱ σκύλακες) οὐδὲν κωλύει ἰέναι*; ibid. XIII,

11: *τάς τε γὰρ τῶν ἰδιωτῶν οὐσίας ἀφαιρούμενοι καὶ τὰ τῆς πόλεως εἰς τὰς κοινὰς σωτηρίας ἀνωφελέστεροί εἰσι τῶν ἰδιωτῶν, τά τε σώματα πρὸς τὸν πόλεμον κάκιστα καὶ αἴσχιστα ἔχουσι, πονεῖν οὐ δυνάμενοι.* — Apparet, Xenophontem his locis *αἰσχρά* appellare ea, quæ ad rem aliquam inhabilia et inutilia, non ea, quæ specie deformia et turpia sunt. Cum illa significatio ad nostrum locum aptissima sit, et una littera deleta vix discernantur vocabula, de quibus agitur, Plutarchum *αἰσχροί,* non *γλίσχροι* scripsisse mihi quidem persuasum est. In eundem errorem harum vocum commutandarum inciderunt librarii alio Moralium loco Adv. Colotem p. 1113 f, ubi Wyttenbachius recte *αἰσχρά* in *γλίσχρα* corrigendum esse censuit, Duebnerus, hac optima coniectura spreta, traditam scripturam retinuit.

Πῶς ἂν τις
διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου.

---

p. 51 f (cap. VI).

ταύτῃ πρῶτον ἐπιχειρεῖ (ὁ κόλαξ) πλησιάζειν ἑκάστῳ καὶ παρασκηνοῦν, ὥσπερ ἔν τισι νομαῖς θηρίου τοῖς αὐτοῖς ἐπιτηδεύμασι . . . καὶ διαίταις ἀτρέμα παραβάλλων καὶ προσαναχρωννύμενος.

Bene ad sententiam comparavit Wyttenbachius[1]) Platon. Rempubl. VI, 493 a—c; sed ut omnes reliqui editores men-

---

[1]) In animadv. ad h. l.

dum manifestum, quod iam pridem detexerat Xylander, cum sic verteret: ‚veluti in pascuis animali cuidam sese adiungens', intactum reliquit. Reiskius, quem sequuntur Huttenius et Chr. Aug. Krigelius[1]), sensu similitudinis non satis intellecto coniecit *ὥσπερεί τισι νομαῖς θηρίον,* quasi pascuis ac non ipsis animalibus difficile sit appropinquare. Præterea concinnitas comparationis hac coniectura turbatur, si quidem homini, cuius benevolentiam adulator captare studet, in imagine nihil aliud apte respondet nisi animal, cui appropinquat quis. Quam denique rationem Bernardakis[2]) secutus sit, cum errore librarii codicis D deceptus *θηρίον* ut glossema deleret, scire velim; hoc vocabulo omisso tota similitudo sensu caret. Ego scribendum censeo (nam etiam in pronomine *τισι,* quamquam fortasse ferri[3]) potest, offendor) *ὥσπερ ἐν ταῖς νομαῖς θηρίῳ;* post *θηρίῳ* commate interpungendum est, ut intellegatur, reliqua non ad similitudinem referenda esse, sed de adulatore dici.

p. 52 a (cap. VI).

βεβαιῶν δὲ τὸ φιλοῦν καὶ τὸ μισοῦν ὡς κρίσει μᾶλλον ἢ πάθει γιγνόμενον.

Delenda est particula *δέ*; nam participium *βεβαιῶν* duobus superioribus *(ψέγων μὲν — ἐπαινέτης δὲ . . . φαινόμενος)* non adiungitur sed subiungitur, cum explicet, quomodo adulator reprehensionibus et laudibus suis fidem faciat apud eum, cuius gratiam sibi conciliare conetur.

---

[1]) Krigelius libellum Plutarchi de adulatore et amico seorsum edidit Lipsiæ 1775.

[2]) Vid. præf. edit. p. XX.

[3]) Vid. huius disp. pag. 56.

p. 53 d (cap. IX).

ἀλλ' ὥσπερ οἱ φαῦλοι ζωγράφοι . . . ἐν ῥυτίσι καὶ φακοῖς καὶ οὐλαῖς τὰς ὁμοιότητας ἀναφέρουσιν.

Temere Hercherus *ἀναφέρουσιν* in *ἀναφαίνουσιν* mutavit; tradita scriptura recte se habet; cf. Plut. Brut. cap. I s. f. (p. 984 d): *τῶν . . . ἐκ τῆς οἰκίας γεγονότων ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀναφέρειν ἐνίους πρὸς τὸν ἀνδριάντα τοῦ Βρούτου τὴν ὁμοιότητα τῆς ἰδέας*; præterea Moral. p. 126 c, 140 e, 762 f, 957 f, Cat. Utic. c. XXV init. (p. 770 f). Omnibus his locis sicut nostro *ἀναφέρειν τι* significat ‚facere ut aliquid appareat'; Danice ‚lade noget fremtræde'.

p. 54 c (cap. X).

ὁ δὲ κόλαξ ἀεὶ μνημονεύων τοῦ τὰ δεύτερα λέγειν ὑφίεται τῇ ὁμοιότητι τῆς ἰσότητος, ἡττᾶσθαι πανταχοῦ καὶ ἀπολείπεσθαι πλὴν τῶν φαύλων ὁμολογῶν.

Quem sensum habeat locutio *ὑφίεναι τῇ ὁμοιότητι τῆς ἰσότητος*, equidem me nescire libenter fateor. Frustra in his tenebris illustrandis laborat Wyttenbachius, qui quod interpretatione Latina, qua in animadversionibus hunc locum ad verbum de Græcis exprimit, vel ipse ut videtur parum contentus, prorsus contra consuetudinem sermonis Plutarchi et omnino solutæ orationis vocabulum *ὁμοιότης* ita poni posse fingit, ut significetur ‚similis homo', probabilitatem certe non sequitur. Cum mendum haud dubium sit neque commode, quantum video, correctionem litteræ admittant neque quidquam lacunam arguat, causam corruptelæ in verborum ordine turbato quærendam esse puto; nam si vocabulum *τῇ ὁμοιότητι* ante infinitivum *λέγειν* transponimus, et sententia satisfacit et oratio apte fluit, quam Latine sic fere reddere licet: ‚adulator autem, cum semper, quod ad

similitudinem attinet, secundas partes agere meminerit, altero inferiorem se esse cet'.

p. 54 e (cap. XI).

ἢ δῆλον ὅτι τῷ τέλει τῆς χρείας διακρινοῦμεν.

Reiskius ἢ aut delendum censuit aut ἦ δῆλον scribendum esse; sed et eius coniecturæ repudiandæ et delenda negatio, quam prave Hercherus inter ἢ et δῆλον interposuit. Scilicet interrogationis signum ponendum post διακρινοῦμεν; ita nullam offensionem habet vulgata scriptura, quæ aliis defenditur exemplis, velut præter illud, quod Madvigius in Synt. Græc. § 199 a posuit, Xenoph. Symp. IV, 52: σὺ δὲ δή, ἔφη ὁ Χαρμίδης, ὦ Συρακόσιε, ἐπὶ τῷ μέγα φρονεῖς; ἢ (an) δῆλον ὅτι ἐπὶ τῷ παιδί, his: Plut. Moral. p. 94 f, ubi oratio sic interpungenda est: . . . ὁμοῦ ῥᾴδιον; ἢ καὶ τοῦτο ἀδύνατον; Polyb. XXXII, 9, 10; Plat. Phædr. 227 b; Protag. 309 a; Parm. 137 b.

p. 57 d (cap. XIV).

ἤδη δὲ καὶ ῥήτορος ἔστιν ὅτε κολακείᾳ διασύραι φιλόσοφον, καὶ παρὰ γυναιξὶν ἀκολάστοις εὐδοκιμοῦσι τὰς μονολεχεῖς . . . ἀγροίκους ἀποκαλοῦντες.

Sic usque ad Hercherum scribebant editores (excepto quod Duebnerus Reiskii coniecturam secutus dedit κολακεία) legibus sermonis sensuque pariter neglectis; optativus potentialis sine ἄν ferri non potest et numerus singularis verbi διασύραι parum apte pluralibus οὐκ αἰσχύνονται — εὐδοκιμοῦσι interpositus est, cum iidem certe homines significentur et subiectum vix audiri possit. Madvigii[1]) emendatio ἐστί ποτε κολακεία διασῦραι, quamvis specie elegans et facilis, tamen haud mediocres mihi scrupulos inicit.

---

[1]) Advers. crit. I p. 616.

Offendit enim oratio admodum dura et impedita, cum sine ulla necessitate incepta structura relinquitur (nam facile Plutarchus, si voluisset, *ἔστιν ὅτε διασύρουσι* scribere potuit), deinde statim post a verbo *εὐδοκιμοῦσι* repetitur, quasi omnino non interrupta sit[1]), sed magis etiam illud *ποτε,* quod, si, ut par est, Latine adverbio ‚quondam' reddimus, sanus sensus elici non potest; ea autem significatione, quam hic flagitat loci sententia, ‚interdum' dico, adverbium *ποτέ*, ni fallor, nusquam ponitur, nisi ubi inter se respondent *ποτε μέν* et *ποτε δέ*. Nec magis Hercherum verum invenisse credo, qui spreta Madvigii emendatione audacter et infeliciter *ἤδη δὲ καὶ ῥήτορος ἔστιν οἷ κολακείᾳ διέσυραν φιλόσοφον καὶ παρὰ . . . εὐδοκιμοῦσιν οἱ τὰς κτλ.* coniecit. Bernardakis denique, qui fretus scriptura unius codicis interpolati[2]) *κολακεία διασύρει* dedit, præterea Herecheri correctionem *(εὐδοκιμοῦσιν οἱ)* secutus est, non magis mihi sententiam suam probavit. Omitto, quod scriptura eius auctoritate incertissima nititur; articulus vero, quem cum Herchero post *εὐδοκιμοῦσι* interponit, sensum valde turbat, nisi absurde statuimus verbum *εὐδοκιμοῦσι* non de eodem genere adulatorum atque eo, quod paulo supra commemoratur, esse dictum. Omnino correctionibus locus non eget, modo cum Madvigio *διασύραι* in *διασῦραι* corrigatur; nam explicationem probabilem admittit codicum scriptura: enuntiatum illud *ἤδη* — *φιλόσοφον* arctissime sententia cum antecedentibus cohæret; verborum structura paulo durior est, nam *οὐκ αἰσχύνομαι* anacoluthia quadam primum cum participio, deinde rariore usu (v. Æsch. Ag. 856, Pl. Charm. 164 d) cum infinitivo coniunctum est, in hanc fere sententiam: ‚non nunquam etiam, ut rhetoris

[1]) Eadem fere Pflugkii emendationi *ἔστιν ὅτε κολακεία διέσυρε* opponi possunt; cf. Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1848 p. 889.

[2]) Parisin. 1211; cf. præf. edit. eius p. XXIX.

captent benevolentiam, philosophum exagitare (eos non pudet) cet.'

p. 59 a (cap. XVI).

εὐήθη τοίνυν . . . τὰ τοῦ Βίωνος, εἰ τὸν ἀγρὸν ἔμελλεν ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκει τοῦτο ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων οὐ τοίνυν οὐδ' ἄνθρωπος ἄτοπος ἂν εἴη ἐπαινῶν, εἰ τοῖς ἐπαινουμένοις ὠφέλιμός ἐστι καὶ πάμφορος'. — *ἐπαινῶν εἴη* habent cod. Par. 1211 et Vulcob.; in D exstat *εἶτ' οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκει τοῦτο μὴ ποιῶν ... ἔχων.* Utrum verius sit, difficile est dictu; ego vulgatam scripturam genuinam esse puto. Ceterum omnes codices pariter hoc loco scatent manifestis vitiis, quæ tamen ex parte iam feliciter sustulerunt viri docti, velut Dobræus[2]) *ἀνθρώπους* pro *ἄνθρωπος* sententia flagitari recte intellexit, Jägerus[3]) *πάμφορος* probabiliter in *πρόσφορος* mutavit. Totam structuram, Wyttenbachio iudice obscuriorem illam quidem et inusitatam sed sanam, nullo modo defendi posse Hercherus sensit; verum correctio eius, quamquam non admodum audax est, tamen vix probari potest; scribit enim *εἰ . . . ἔμελλες . . . οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκεις . . . οὐ τοίνυν οὐδ' ἀνθρώπους ἄτοπος ἂν εἴης ἐπαινῶν, εἰ τοῖς ἐπαινουμένοις ὠφέλιμος ἔσῃ καὶ πρόσφορος.* Ni fallor pravum est futurum *ἔσῃ*, quod equidem expedire nequeo, nam sive eo consilium laudatoris significatur (‚si utilis esse vis'), fingitur, iam demonstratum esse, laudem omnino utilem esse, id quod non est; sive Latine interpretamur: ‚utilis eris', i. e.: si in futuro apparebit, te utilem fuisse, ex eventu colligitur, laudatorem recte laudasse; verum si res

[1]) Cf. præf. Bernardakis p. XXIX.

[2]) Cf. Adversaria eius I p. 141. Edit. Berolin. 1874.

[3]) Cf. Zeitschrift f. die Alterthumsw. 1842 p. 1035.

fortasse aliter evenerit, si laus nocuerit ei, qui laudatur, quid tum? Præterea non apte laudator utilis et salutaris esse dicitur, cum de utilitate ipsius laudis dicatur. Veram emendandi viam Meziriacus ostendisse mihi videtur, qui post εἰ interponit τις, quod propter similitudinem litterarum insequentis articuli facile intercidere potuit; deinde ex coniectura Bernardakis[1]) inter εἴη et ἐπαινῶν necessario interponendus est articulus ὁ; vitium aliquod latere hiatus (εἴη ἐπαινῶν) ostendit[2]); denique puto, post ἐπαινουμένοις addendum esse ὁ ἔπαινος vel simpliciter ἔπαινος, ut scribatur: εἴ τις τὸν ἀγρὸν ἔμελλεν . . . . οὐ τοίνυν οὐδ' ἀνθρώπους ἄτοπος ἂν εἴη ὁ ἐπαινῶν, εἰ τοῖς ἐπαινουμένοις ἔπαινος ὠφέλιμός ἐστι καὶ πρόσφορος. Postremum enuntiatum Meziriacus[3]) sic corrigit: εἴ τις ἐπαινούμενος ὠφέλιμός ἐστι καὶ πάμφορος, verum ut homo laude fortasse melior, sic certe neque utilis neque fertilis fit. Fortasse recte Hercherus pro εὐήθη τοίνυν καὶ ἀβέλτερα τὰ τοῦ Βίωνος scripsit εὔηθες τοίνυν καὶ ἀβέλτερον τὸ τοῦ Βίωνος.

p. 59 d (cap. XVII).

ὥσπερ ἡ κίβδηλος αὕτη παρρησία κενὸν ἔχουσα καὶ ψευδῆ καὶ ὕπουλον ὄγκον ἐξήρθη καὶ ᾤδησεν κτλ.

Plutarchus, postquam in superioribus falsam adulatorum

---

[1]) Vid. edit. eius; eadem correctio mihi in mentem venit.

[2]) In articulo hiatus (εἴη ὁ ἐπαινῶν) nullam habet offensionem, cf. Schellens: De hiatu p. 12; Sintenis Epist. ad Saupp. p. 328; G. Herrmann quæst. crit. de Plut. Mor. part. I p. 43. Halis Sax. 1875; præterea infra p. 73 e ὁ Ἕκτωρ; p. 73 f Ἀγαμέμνονα ὁ Νέστωρ.

[3]) Imprudens in hanc alienam coniecturam incidit Cobetus Mnemosyne N. S. I p. 360; Var. lect. p. 402. Verba eius sunt: ‚Opponuntur inter se τὸν ἀγρὸν ἐγκωμιάζων et ἄνθρωπον (sic ille pro codicum ἄνθρωπος scribendum esse censet) ἐπαινῶν et scitissime in hac comparatione ὠφέλιμος καὶ πάμφορος adulatori suus rex apellatur.' Adulator et rex eius prorsus non pertinent ad hunc locum, ubi omnino de effectu laudis quærit Bion.

in vituperando libertatem cum cervicalibus mulierum specie solidis capitique renitentibus, re vera mollibus et cedentibus comparavit, verbis supra in lemmate laudatis accuratius ostendit, similitudinem, qua usus est, aptam libertatis illorum simulatæ imaginem adumbrare. Verum eius modi similitudinis usurpatæ explicatio et defensio a particula *ὥσπερ*, quæ ipsa comparationem inducit, non incipere potest; *οὕτως*, quod Emperio[1]) placuit, non magis sententiæ satisfacit, quæ certe *ὡσαύτως γάρ* flagitat, itaque scribendum esse censeo; *ὡς γάρ* et *ὥσπερ* interdum a librariis propter litteratum similitudinem. permutantur velut Plut. Mor. p. 135 d, ubi in codicibus *ὡς γάρ* exstat, Reiskius recte *ὥσπερ* restituit; hæc fortasse prima causa erat vitii. Obiter commemorandum (fugit enim hoc interpretes) illud *μᾶλλον*, quod claudit enuntiatum antecedens, inusitatius valere ‚e contrario', cf. Moral. p. 53 e; eadem significatione interdum Latine ponitur adverbium ‚magis' velut Catul. 68, 30; Propert. II, 3 (4), 53; Sall. Iug. 85, 49, Or. Macr. 17; Liv. XL, 20, 3.

p. 59 e–f (cap. XVII).

Hercherus iniuria post *ἐπιμελόμενον* nonnulla intercidisse putat; scilicet quod ad participium *προσποιούμενος* et adiectivum *δεινός*, quæ particulis *μὲν - δέ* coordinata sunt, manifesto apodosis desideretur. Verum omnia sana sunt, nec sententia ullum supplementum requirit; fefellit virum doctum non inusitatum anacoluthiæ genus, nam Plutarchus structuræ inceptæ, pluribus intermissis *(ᾆξαι - ἐπιμελόμενον)*, oblitus, inde a tertio membro *(γονέων δέ)* orationem ita continuat, quasi paulo supra *προσποιεῖται - δεινός ἐστι* scripserit; comp. Madv. Synt. Gr. § 216 ann. 1.

---

[1]) Cf. Opuscula eius ed. Schneidewin p. 324.

p. 60 f (cap. XIX).

ἀδελφοῖς μὲν γὰρ ὁρῶντες διαφερομένους ἢ γονέων ὑπερφρονοῦντας ἢ πρὸς γυναῖκας αὐτῶν ὑπεροπτικῶς ἔχοντας οὔτε νουθετοῦσιν οὔτ' ἐγκαλοῦσιν, ἀλλὰ καὶ προσεπιτείνουσι τὰς ὀργάς. ‚οὐ γὰρ αἰσθάνῃ σαυτοῦ· καὶ σὺ τούτων αἴτιος, ἀεὶ θεραπευτικῶς προσφερόμενος καὶ ταπεινῶς.'

Membra orationis quasi decussatim posita sunt, nam, ut docet sententia verborum, ultimum *ἀλλὰ καὶ - τὰς ὀργάς* soli primo *ἀδελφοῖς - διαφερομένους* respondet; quartum et quintum *οὔτε νουθετοῦσιν οὔτ' ἐγκαλοῦσιν* communiter altero et tertio *γονέων ὑπερφρονοῦντας ἢ πρὸς γυναῖκας αὐτῶν ὑπεροπτικῶς ἔχοντας.* Iniuria adverbium *ὑπεροπτικῶς,* quod et apud alios et apud ipsum Plutarchum (Pomp. c. LV pr. fin.) exstat, in suspicionem vocarunt Meziriacus et Wyttenbachius, quorum ille *ὑποπτικῶς,* hic *ὑπόπτως* (non *ὑπερόπτως,* quod Hercherus [1]) constanti errore et in textu et in annotatione typis expressit) coniecit, neque enim ‚offensio et suspicio hic subest' [2]), sed nebulones illi, quorum mentio est, vel parentes vel uxores fastu ridiculo inflati despicere et neglegere dicuntur. Hactenus igitur locus sanus est; quæ deinde sequuntur *(οὐ γὰρ - ταπεινῶς)* exemplo illustrant non totum antecedens enuntiatum sed tantummodo ultimam partem *(ἀλλὰ - ὀργάς)* primo, ut supra diximus, membro *(ἀδελφοῖς - διαφερομένους)* respondentem. Sententia verborum hæc fere est ‚neque enim scis, qualis sis; *etiam* tu (non sola fratris contumacia) harum rixarum causam dedisti (scil. nimio obsequio)'. Quod cum non intellexerint adhuc interpretes et editores, plerique Xylandrum secuti simpliciter in interpretatione *καί* omittunt, Hercherus, quem sequitur

---

[1]) Decepit etiam exemplo suo Bernardakim; v. annot. eius critica.
[2]) Cf. Wyttenbachii animadv. ad h. l.

Bernardakis, miris nescio quibus rationibus adductus orationem sic interpungit: *'οὐ γὰρ αἰσθάνῃ σαυτοῦ' καὶ 'σὺ τούτων αἴτιος ἀεὶ . . . ταπεινῶς'*; verba illa *οὐ γὰρ-σαυτοῦ* a sequentibus distracta seorsumque posita prorsus sensu carent, cum neque quo referantur neque quid spectent appareat.

Unus reliquus est scrupulus: particula *γάρ* post negationem parum apte addita est; nam neque in scriptoris verbis exstat neque audiri potest quidquam, cuius causam afferat vel quod diligentius explicet. Haud scio an interciderit inter *γάρ* et *αἰσθάνῃ* verbum *φασίν*; ita optime fluit oratio, quoniam nonnunquam particula *γάρ* cum indicativo verbi dicendi, alienæ orationis significandæ causa, ita interponitur, ut *γάρ* primum locum teneat, verbum dicendi secundum; velut Plut. Mor. p. 82 d *'ὅσῳ' γὰρ εἶπεν 'ἐνδοτέρω φεύγεις κτλ.*; p. 122 c; Arist. c. IV; Agesil. c. XII; Pelop. c. I; fragm. p. 44, 4 ed. Didot. (Stob. Flor. ed. Meineke II p. 376, 18); Sext. Emp. p. 393, 12 ed. Bekker; comp. Hauptii Opusc. III p. 513.

p. 62 e (cap. XXII).

Ἔστι μὲν οὖν καὶ ταῦτα δηλώματα τοῖς νοῦν ἔχουσιν οὐκ ἀληθινῆς φιλίας οὐδὲ σώφρονος ἀλλ' ἑταιρούσης καὶ περιπλεκομένης ἑτοιμότερον τῶν δεομένων.

Hæserunt in hoc loco iam alii velut Meziriacus, qui *τοῦ δέοντος* scribendum esse censuit, et Madvigius, qui[1]) *τῶν αἰδουμένων* coniecit. Sine dubio corruptela latet, neque enim nostro loco *τῶν δεομένων* rectam habet sententiam ut Mor. p. 48 a, ubi ad *δεομένων* additur *ἐπιδείξεως*; verum Meziriaci correctio audacior est, Madvigii parum probabilis, quoniam ex consuetudine Plutarchi *ἑτοιμότερον αἰδουμένης,*

---

[1]) Advers. crit. I p 616.

non *τῶν αἰδουμένων* exspectes. Præterea ægre obiecto caret participium *περιπλεκομένης*; itaque scribendum esse censeo: . . . *καὶ περιπλεκομένης ἑτοιμότερον »τοὺς πλουσίους« τῶν δεομένων*. Hercherus Vulcobianum secutus pro *ἑτοιμότερον* scripsit *θερμότερον*.

p. 62 e (cap. XXII).

εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν φίλου μὲν ἐκείνην εἶναι τὴν ἐπαγγελίαν

‚εἰ δύναμαι τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί'

κόλακος δὲ ταύτην ‚αὔδα ὅτι φρονέεις' καὶ γὰρ οἱ κωμικοὶ τοιούτους εἰσάγουσιν. Uterque versus laudatus sæpius apud Homerum occurrit[1]); qui sequuntur iambici senarii tres *‚ἐμέ, Νικόμαχε, κτλ.'*, quibus et ipsis facilitas et levitas adulatoris in promittendo exagitantur, sumpti sunt ex comoedia Menandri, quæ non exstat.[2]) Si paulo diligentius hunc locum consideraverimus, certe difficile erit intellectu, quo verba illa *καὶ γὰρ - εἰσάγουσιν* referenda sint; equidem non video, quomodo sententia cum antecedentibus cohæreant, itaque non dubito, quin sic fere scripserit Plutarchus: *καὶ γὰρ οἱ κωμικοὶ τοιούτους αὐτοὺς εἰσάογυσιν*; nam quod comici poetæ omnino eius modi personas in scenam inducunt nequaquam argumento esse potest, adulatoris in promittendo levitatem talem esse, qualem eam Plutarchus expressit; quod vero idem poetæ, qui personas, quas induxerunt, ad ipsam vitam accommodabant, similem eiusdem adulatorum vitii imaginem adumbrarunt, confirmat, veram eam et aptam esse. Fortasse nocuerunt similes pronominum terminationes (*τοιούτους, αὐτούς*).

[1]) Cf. Wyttenbachii animadv. et Hercheri annotatio ad h. l.
[2]) Meineke Fragm. comic. IV p. 669.

Paulo infra alterum eiusdem generis vitium occurrit, scilicet eodem remedio sanandum; scribitur enim eodem capite p. 62 f: *οὐδεὶς γάρ ἐστι ῥᾳδίως πλούσιος οὐδὲ βασιλεὺς οἷος εἰπεῖν.* Verbum *ἔστι* hic ‚reperitur' vel ‚exstat' valere et locus principalis quem in initio enuntiati tenet et sensus verborum docet. Exspectes igitur, si omnia sana sint, sequi verbi causa *ὅς λέγει,* non *οἷος εἰπεῖν,* quod vix ferri potest. Sine dubio lacuna omnem orationis structuram et sensum turbavit; scribendum interposito post *πλούσιος* adiectivum *τοιοῦτος,* quod propter litterarum similitudinem facile omitti potuit, *οὐδεὶς γὰρ ἔστι ῥᾳδίως πλούσιος τοιοῦτος οὐδὲ βασιλεὺς, οἷος εἰπεῖν* i. e. ‚neque enim facile eius modi homo dives vel rex reperitur, qui dicat cet.'; cf. Madvigii Synt. Gr. § 166 c. Hirschigius[1]), qui ipse quoque mendum sensit, suspicatur, scriptum fuisse *οὐδ' εὑρεῖν γάρ ἐστι ῥᾴδιος πλούσιος οὐδὲ βασιλεὺς οἷος εἰπεῖν κτλ.* Sententia eadem fere est; sed mea coniectura et facilior et probabilior mihi esse videtur.

p. 64 d (cap. XXIII).

ὥσπερ οὖν Λακεδαιμόνιοι . . . ἠξίουν . . ., οὕτως ὁ φίλος καὶ τοιοῦτος, ἂν μέν τις . . . χρεία καταλαμβάνῃ πρῶτος ἀξιῶν καλεῖσθαι καὶ μετέχειν ἀπροφασίστως καὶ προθύμως· ὅπου δὲ πρόσεστιν αἰσχύνη μόνον ἐᾶν καὶ φείδεσθαι παραιτούμενος.

Sic codices optimi et plurimi, a quibus deteriores non admodum discedunt, nisi quod in Vulcobiano solita licentia verba *καὶ τοιοῦτος* omittuntur, *καλεῖσθαι* in *κεκλεῖσθαι*[2]), *παραιτούμενος* in *παραιτεῖται* mutantur. Vetus, ut opinor, corruptela et structura orationis valde implicata coniecturas

[1]) Cf. Philol. V p. 148.

[2]) Idem in codice Turnebi exstat.

aliquot virorum doctorum parum probabiles pepererunt. Sunt qui vocabula illa *καὶ τοιοῦτος* delenda esse censeant[1]) (Krigelius, Hercherus, Bernardakis); Reiskius dubitat, utrum hoc faciendum sit an scribendum *καὶ γὰρ ὁ τοιοῦτος, ἂν μὲν* —; Wyttenbachius modo (in ann. crit.) duas lectiones in hanc unam confusas esse putat, cum alii libri haberent *οὕτως ὁ φίλος,* alii *τοιοῦτος ὁ φίλος,* modo (in animadv.) *οὕτως καὶ ὁ φίλος τοιοῦτος* scriptum fuisse suspicatur; utraque coniectura me iudice omni caret probabilitate. Nemo ante Hercherum difficultatem sensit, quam parant participia sequentia *ἀξιῶν - παραιτούμενος,* cum exspectandus esset indicativus, quem audacius quam verius in oratione posuit idem Hercherus. Valde enim vereor, ne sic nodum gladio interciderit, non recte expediverit. Notum est Græce sæpius adverbium vel adiectivum demonstrativum, quod quale quid sit indicat, uberius nova sententia explicari ad antecedentem et modo et tempore verbi accommodata.[2]) Verum interdum etiam fit, ut indicativum vel alium modum præter exspectationem participium sequatur, comp. Kruegeri Gr. Gr. 59, 1, 7; eiusdem annot. ad Herod. VII, 10, 7; Stallbaumii annot. ad Plat. Phæd. 59 a; Schneidewini ad Soph. Elect. 184; locis ab his laudatis addi possunt Eur. Alcest. 648—49; Plat. Apol. 31 b; Aristoph. Nub. v. 380—81. Si eodem loquendi genere, id quod non dubito, nostro loco usus est Plutarchus, neque *οὕτως* neque *τοιοῦτος* abesse potest, illud enim antecedenti *ὥσπερ* respondet, hoc ad sententiam quæ sequitur referendum est; igitur omnes coniecturæ, quæ alterum utrum delent, parum probabiles sunt; altera Wytten-

---

[1]) Tantum non cum his consentiunt, qui *τοιοῦτος* in interpretando tacite omittunt, transposita ante *ὁ φίλος* coniunctione *καί* (Erasmus, Xylander, Kaltwasser).

[2]) Comp. Madv. Synt. Gr. § 190.

bachii *οὕτως καὶ ὁ φίλος τοιοῦτος* ferri illa quidem possit, sed non satis in illa apparet, quæ causa fuerit librariis, cur aptum verborum ordinem molesto et difficili mutarent. Ego Plutarchum sic scripsisse opinor: *ὥσπερ οὖν Λακεδαιμόνιοι . . . ἠξίουν . . ., οὕτως ὁ φίλος ἔσται τοιοῦτος . . . πρῶτος ἀξιῶν καλεῖσθαι . . . μόνον ἐᾶν καὶ φείδεσθαι παραιτούμενος,* quod non admodum a codicum scriptura discrepat; interciderunt enim propter similitudinem terminationis vocabuli antecedentis duæ litteræ *(ΦΙΛΟϹЄϹΤΑΙ)*. Futurum aliis exemplis defenditur velut pag. 64 c huius libelli *ὁ μὲν γὰρ φίλος οὐχ . . . αὑτῷ μὲν ἀξιώσει τὰ δίκαια τὸν φίλον ὑπουργεῖν, ἐκείνῳ δ'αὐτὸς ὑπηρετήσει πολλὰ κτλ.* Sententiam verborum hæc fere est: ‚Sicut Lacedæmonii deprecati sunt, . . . ita amicus talem se præbebit: primus si . . . adhiberi vult cet.'

p. 65 e (cap. XXIV).

τὸ δ'ἐν ψυχῇ νοῦν οὐκ ἐχούσῃ δι' εὐτυχίαν ἢ δι' εὐφυίαν ὕψος καὶ φρόνημα τοῖς μικροῖς καὶ ταπεινοῖς μάλιστα βάσιμόν ἐστιν.

Mendum, quod subesse suspicatur Wyttenbachius [1]), quodque Madvigius [2]) mutato *ἢ* in *οὐ* tolli posse credit, certe nullum est, neque satis intellego, quare in his hæserint viri docti: bona indoles et ingenii dona, ni fallor, non minus quam fortunæ hominem superbia inflare possunt.

p. 66 e (cap. XXV).

αὐτὸς ἔοικεν ὁ λόγος ὁ τὸ ἐφεξῆς ἀπαιτῶν ἐπιτιθέναι τὴν κορωνίδα τῷ συγγράμματι.

Valde dissentiunt codices. Quæ in lemmate posui,

---

[1]) Videatur annot. eius crit. ad h. l. Animadv. p. 504.

[2]) Advers. critic. I p. 617.

scriptura est codicis D, quam in editionibus suis recte, ut opinor, secuti sunt Hercherus et Bernardakis; nam quamvis et ipsa corrupta sit, certe proxime ad genuinam et antiquam orationis formam accedit; in omnibus fere reliquis *ὑποτιθέναι τῇ κορωνίδι τοῦ συγγράμματος* exstat, quod cum sensu cassum esse intellegerent viri docti, plerique[1]) velut Reiskius, Wyttenbachius, Huttenius auctore Henrico Stephano sic scribendum esse censuerunt: *ὑποτιθέναι τοῦτο τῇ τοῦ συγγράμματος κορωνίδι*; neque Duebnerus dissentit nisi quod eum verborum ordinem retinet, quem codices habent *(τῇ κορωνίδι τοῦ συγγράμματος)*. Sed vel addito pronomine *τοῦτο,* hæc scriptura prorsus repudianda, cum vix quisquam explicare possit, quid significet phrasis *ὑποτιθέναι τι τῇ κορωνίδι τοῦ συγγράμματος,* et, licet significet ‚perorationi libelli aliquid addere', hoc loco valde frigeat, cum appareat nondum etiam perorasse scriptorem, ac, ni vehementer fallor, disputatio illa, quæ additur, ipsa sit libelli peroratio *(κορωνὶς τοῦ συγγράμματος).* His rationibus adductus cum Herchero et Bernardaki solum codicem D sequor, quamquam ne is quidem hoc loco, ut supra commemoravi, prorsus vitio vacat; scribendum enim facillima correctione adhibita sic: . . . *ἐπιτιθέναι ταύτην (= τοῦτο) κορωνίδα τῷ συγγράμματι* i. e. si ad verbum Latine vertimus ‚hanc (= hoc) coronam imponere libro'; comp. Madv. Synt. Gr. § 11 ann. 1; § 24 a.

p. 67 c (cap. XXVI).

οὐχ ἧττον δὲ τούτου φιλικόν ἐστι τὸ παρορᾶσθαι καὶ ἀμελεῖσθαι δοκοῦντας αὐτοὺς ὑπὲρ ἄλλων ἀμελουμένων παρρησιάζεσθαι καὶ ὑπομιμνήσκειν.

αὐτούς vix ferri potest, cum pronomen ad subiectum

[1]) Xylander parum apte antecedens *αὐτός* in *αὐτό* mutavit.

verbi regentis referendum sit *(δοκοῦντας)*, cuius opinio infinitivis antecedentibus continetur; credunt enim, se ipsos neglegi et contemni. Scribendum *αὑτούς*; eandemque correctionem recte paulo infra a Bernardaki adhibitam esse censeo, cum scriberet *οἰόμενος ὑπὲρ αὑτοῦ τι ἔχειν μέμψασθαι τὸν Πλάτωνα*; comp. Krügeri Gr. Gr. § 51, 2, 5; Plut. Mor. p. 67 a *ἐκεῖνος δὲ δι' αὑτὸν ἐδόκει μάλιστα χαλεπαίνειν*; p. 67 b *τὰ μὲν εἰς αὑτὸν ἁμαρτήματα τοῦ φίλου κομιδῇ προϊέμενος*; p. 111 a *χρὴ διανοεῖσθαι πάντα τινὰ πρὸς αὑτὸν κτλ.*; p. 122 d *αὑτὸν οἴεται*; p. 123 b *συνεθίζοντας αὑτοὺς κτλ.*

p. 69 c—d (cap. XXVII).

ἐντυχόντος δὲ πράως αὐτῷ τοῦ Κράτητος καὶ διαλεχθέντος περὶ φυγῆς ὡς οὐδὲν ἔχοι[1]) *κακὸν οὐδ' ἄξιον φέρειν βαρέως πραγμάτων σφαλερῶν καὶ ἀβεβαίων ἀπηλλαγμένον κτλ.*

Valde miror, omnes editores illud *ἀπηλλαγμένον* intactum reliquisse, præsertim cum Xylander in interpretatione sua Latina mendum correxerit. Totum enuntiatum *ὡς-ἀπηλλαγμένον* non de exsilio dictum est, sed de ipso Demetrio in exsilium eiecto itaque negotiis lubricis et periculosis liberato. Scribendum igitur *ἀπηλλαγμένος*; ad verbum *ἔχοι* subiectum auditur Demetrius. *Ἔχειν κακόν, συμφοράν* Græce non modo res aliqua, sed etiam significatione paulum diversa homines dicuntur velut Plat. Phædr. p. 231 c; Plut. Mor. p. 161 b *ὡς οὐδὲν εἶχε (ὁ Ἀρίων) κακὸν κτλ.*; p. 169 d *ἄλλο δ' οὐδὲν ἔχοντα (τὸν ἄθεον) κακόν*; p. 231 a.

p. 70 d (cap. XXXI).

ποῦ γὰρ ἔστι τούτοις τὸ στόμα διᾶραι, τί δὲ προσειπεῖν, ἂν ἀφῇς ταῦτα καὶ ῥίψῃς, ἐφ' οἷς κακῶς ἀκούεις;

---

[1]) **Hercherus prave Vulcobianum secutus *ἔχει* scripsit.**

Hic iam Reiskius dubitavit, qui *προφέρειν* scribendum esse censuit, ‚nisi vulgata scriptura de cognominibus probrosis in absentem iactatis acciperetur'; *προσειπεῖν* ita dici potuisse recte negat Hauptius[1]), verum quod ipse, coniectura Reiskii parum probabili repudiata, Plutarchum scripsisse putat *τί δ' ἔπος εἰπεῖν* vix Græcum est, certe nullam habet probabilitatem. Ne Bernardakis[2]) quidem emendatio *προσεπειπεῖν* placet, quæ et ipsa sententiæ parum satisfaciat. Scribendum duabus litteris geminatis: *ποῦ γὰρ ἔστι τούτοις τὸ στόμα διᾶραι, τί δὲ πρός σε εἰπεῖν, ἂν ἀφῇς κτλ.* Cf. de hiatu Schellens: De hiatu in Plutarchi Moralibus Bonnæ 1864 p. 9—10; fortasse rectius cum Bernardaki vocalis eliditur (cf. editio eius p. 95 d), ut scribatur una littera geminata *πρὸς σ' εἰπεῖν.*

p. 71 d (cap. XXXII).

Ἀριστοφάνης δὲ καὶ τὸν Κλέωνα τοῦτ' ἐγκαλεῖν φησιν ὅτι
‚ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγει'
καὶ παροξύνει τοὺς Ἀθηναίους.

Temere et absurde Xylander, quem sequuntur editiones Reiskiana et Wyttenbachii, hæc sic vertenda esse censuit: ‚Cleoni etiam Aristophanes hoc exprobrat, quod

Male civitati diceret coram exteris

Atheniensesque irritaret.' Reiskius prava illa interpretatione deceptus *τοῦ Κλέωνος,* Wyttenbachius[3]) *τῷ Κλέωνι* scribendum esse coniecerunt; hic tamen in animadversionibus, sententia retractata, veriorem Erasmi Amyotique versionem probavit, admonitus, ut opinor, ipsius Aristophanis verbis

[1]) Opusc. III p. 592.
[2]) Vid. editio eius.
[3]) In annot. crit.

(Acharn. v. 503—4), quæ nullam aliam sententiam habere possunt nisi hanc, Aristophanem queri, quod Cleon *sibi* illa (*ξένων-λέγει*) crimini dederit. Sed fefellit adhuc viros doctos[1]), postremum enuntiatum *καὶ-Ἀθηναίους*, quod Plutarchus quasi partem criminis Cleonis *ipse* Aristophani subicit, nullam aptam habere sententiam; neque enim id Cleon ei crimini dabat, quod sociis præsentibus Athenienses excitaret, nam ineptum fuisset eius modi aliquid Aristophani exprobrare; imprimis vero non apparet, cur *socii*, si omnino facinus erat *Athenienses* male loquendo concitare, diserte commemorati sint; si facinus erat, erat certe non minus absentibus sociis quam præsentibus. Facili correctione tollitur difficultas; scripsit enim Plutarchus *καὶ τόν Κλέωνα τοῦτ' ἐγκαλεῖν φησιν ὅτι ‚ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγει' καὶ παροξύνει τ ο ύ τ ο υ ς Ἀθηναίοις*; comp. Lycurg. in Leocrat. 87: *τὸν δὲ περιλελειμμένον, παροξυνθέντα τῷ Κόδρῳ καὶ νομίσαντα πτωχὸν εἶναι κτλ.*; sed cum Plutarchus constanter, quantum video, huic verbo accusativum et præpositionem *ἐπί* adiungat (*παροξύνειν τινὰ ἐπί τινα*), dativus (*Ἀθηναίοις*) rectius ex Madv. Synt. Gr. § 34 explicatur; vertendum igitur ‚quod sociis præsentibus de urbe male loquatur, itaque eos (scil. socios) Atheniensibus excitet', non ‚in Athenienses'.

p. 71 e (cap. XXXII).

παρρησία δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἤθους ἴσως δεῖται, καὶ τοῦτ' ἀληθέστατόν ἐστιν ἐπὶ τῶν ἑτέρους νουθετούντων καὶ σωφρονιζόντων λεγόμενον.

---

[1]) Excipiendus est Cobetus, qui (Mnemosyne N. S. I p. 360) ‚... Utrum' inquit ‚putas irritare Athenienses Aristophanem an Cleonem? Perspicuum est de Cleone id dici. Ergo *παροξύνειν* verum est.' Vix recte; vid. quæ supra disputavi.

Difficile est dictu, quo referendum sit pronomen *τοῦτο*; si forte ad enuntiatum antecedens *παρρησία-ἴσως* (i. e. pariter) *δεῖται*, intolerabiles sane imputantur Plutarcho ineptiæ; nam præterquam quod vix quisquam arrogantissimus scriptor suam ipse sententiam his verbis *τοῦτ' ἀληθέστατόν ἐστιν λεγόμενον* laudaverit, *οἱ παρρησίᾳ χρώμενοι* et *οἱ ἑτέρους νουθετοῦντες* teste ipso Plutarcho idem sunt; cf. supra p. 71 d *διὸ δεῖ . . . χρῆσθαι τῇ παρρησίᾳ βουλομένους*; p. 71 e *καὶ μὴν ὅπερ ὁ Θουκυδίδης . . . τοῖς παρρησιαζομένοις*; p. 73 d *οὕτω . . . παρρησίαν ἐπάγειν*. Wyttenbachius difficultatem sensit ille quidem, sed remedium, quod ad eam expediendam commendat [1]), transponendi verba illa *καὶ τοῦτ' . . . λεγόμενον* supra post *λόγου* [2]) *δεῖσθαι* certe nemini satisfaciet, cum Lysandri dictum nullo modo ad omnes eos qui alios reprehendunt apte accommodari possit. Equidem credo post *ἐστιν* versum vel verba aliqua alicuius scriptoris intercidisse, quæ ad sententiam illustrandam citaverat Plutarchus. Scribendum igitur *καὶ τοῦτ' ἀληθέστατόν ἐστιν . . . ἐπὶ τῶν ἑτέρους νουθετούντων λεγόμενον.*

p. 73 d (cap. XXXVI).

ὁρᾷς τὸ καλὸν οἵους καρποὺς ἀποδίδωσι; ταῦτ' ἀπαιτοῦμεν οἱ φίλοι κτλ.

Sic omnes editores; sed haud scio an prave post *ἀποδίδωσι* signum interrogationis posuerint; ita enim in incerto relinquitur, utrum viderit is, quem alloquitur Plutarchus, quales fructus referat honestum, necne, cum doceat verborum sententia, eum non dubitare, quin eos viderit. Itaque interrogationis signum rectius puncto commu-

---

[1]) In annot. critica.

[2]) Scripsisset ‚*τοῖς λόγοις . . . δεῖσθαι*'.

tabitur. Eodem modo in simili loquendi genere interpungendum Mor. p. 64 e ὁρᾷς τὸν πίθηκον, p. 79 e ὁρᾷς, ἔφη, οἷόν ἐστιν ἡ ἄσκησις. Aliis locis, qui a laudatis vix discrepant, velut Mor. p. 27 f et 87 a mecum mira inconstantia consentiunt editores, magis, ut opinor, traditam consuetudinem quam certam rationem secuti.

p. 73 f—74 a (cap. XXXVI).

ἠθικώτερον γὰρ οἶμαι . . . τὸ ‚μὴ φιλονείκει πρὸς τὸν ἀδελφὸν' ἢ τὸ ‚μὴ φθόνει τῷ ἀδελφῷ', καὶ τὸ ‚φύγε τὴν γυναῖκα διαφθείρουσαν' ἢ τὸ ‚παῦσαι τὴν γυναῖκα διαφθείρων'.

Postquam supra exposuit, verum amicum laude magis ad mores emendandos utentem gaudere quam vituperatione, qua si opus sit, lenissimam ei sine studio et ira adhibendam esse, paribus exemplorum inter se oppositorum ostendere conatur, quomodo eadem vituperatio et severioribus et mitioribus verbis comprehendi possit. Itaque certe putet quis, postremi paris exempla ita inter se verbis opposita esse, ut tamen idem peccatum perstringant. Nunc vero is qui reprehenditur non feminam corrumpere dicitur, sed *ipse ab ea corrumpi* (φύγε τὴν γυναῖκα διαφθείρουσαν), ut Plutarchus non leniore vituperatione uti videatur, sed iniuste omnem culpam ab auctore facinoris in alteram partem transferre. Vera sententia efficietur, si participium διαφθείρουσαν, ex duobus vocabulis prave in unum conflatis natum, una littera mutata recte dividetur; scripsit enim sine dubio Plutarchus φύγε τὴν γυναῖκα · διαφθείροις ἄν , i. e. ‚fuge hanc mulierem; aliter eam facile corrumpes'.

Statim post (p. 74 a) Bernardakis [1]), Madvigii [2]) et Hercheri

[1]) Symbol. p. 45—46.
[2]) Advers. crit. I p. 617.

coniecturis refutatis, genuinam restituit scripturam, ita tamen ut unum manifestum mendum intactum reliquerit. Nam in omnibus editionibus præter Hercherianam hæc legimus: *τοιοῦτον γὰρ ἡ θεραπευτικὴ παρρησία ζητεῖ τρόπον, ἡ δὲ πρακτικὴ τὸν ἐναντίον.* — *τὸν* exstat in codice C, in reliquis prave *τό.* Hæsit in adiectivo *πρακτική,* quod hic sane parum aptum est, iam Meziriacus, qui Amyoto auctore *προθεραπευτική* scriptum fuisse credidit, nimis ille longe a librorum vestigiis discedens. Etiam Wyttenbachius, cum in annotatione critica traditam scripturam probasset, postea in animadversionibus, ut erat linguæ Græcæ peritissimus sed iudicii non admodum firmi, dubitavit; verum totam illam quam ibi affert coniecturarum farraginem nullam prorsus probabilitatem habere, vel enumeratio earum ostendet: *προτρεπτική, προνοητική, προληπτική, προκαταρκτική*; ni fallor, vix ulla harum correctionum specie mutationis aut apto sensu commendatur. Requiritur certe aliquid *παρρησίᾳ θεραπευτικῇ,* quæ peccantem mitigando et placando sanat, oppositum, quod quid sit, ne Hercherus quidem mihi invenisse videtur, qui, qua est plerumque in corrigendo temeritate et audacia, scripsit *πληκτική,* quod et notione et litterarum forma a nostro loco satis alienum est. Quam dixerit libertatem reprehendendi Plutarchus, ipse mox accuratius illustrat *(ὅταν γὰρ-τὸ γιγνόμενον),* scilicet eam, quæ animis peccantium *sollicitandis* et *perturbandis* a delictis deterreat, cum præter exspectationem ea quæ facturi sunt ad rationes humiles et sordidas referri audiunt. Hæc mihi consideranti non dubium videtur, quin scriptum fuerit *ἡ δὲ ταρακτικὴ τὸν ἐναντίον,* quod litterarum ductu ad codicum scripturam proxime accedit. — Bernardakis nuperrime[1]) dubitanter

---

[1]) Vid. annot. eius crit. ad h. l.

ἐπακτική coniecit. cuius vocis significatio sententiæ huius loci repugnat.

Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ.

p. 76 c (cap. III).

ὧν σκόπει τὸν πρῶτον εὐθύς, εἰ καθάπερ οἱ πρὸς ἀχανὲς θέοντες ἱστίοις πέλαγος ἅμα τῷ χρόνῳ πρὸς τὴν τοῦ πνεύματος ῥώμην ἀναμετροῦνται τὸν δρόμον κτλ. — *τὸν,* quod coniecerat Reiskius, exstat in C, B, T; reliqui *σκόπει τὸ πρῶτον* vel *ἐσκοπεῖτο πρῶτον* habent. Coniunctionem *εἰ* ante *καθάπερ* molestam esse, sensit Wyttenbachius; sed nullo modo, ut credidit ille [1]), pariter ad antecedens *σκόπει* et ad sequens *ποιήσαιτο* referri potest; neque enim a Sossio Senecione quærit Plutarchus, num re vera ita res se habeat, sed suam profitetur sententiam, ut ostendunt vel ea, quæ sequuntur (*τὸ γὰρ κτλ.*). Quod si quis forte eodem Wyttenbachio auctore particulam omnino delendam esse censuerit, ipsa molestia defenditur, cum non intelligatur, qua ratione commoti aut quo errore librarii eius modi additamentum interposuerint. Comparatis aliis alloquendi formulis Plutarchi velut Moral. p. 20 e *εὐθύς, εἰ βούλει*; p. 328 b *καὶ πρῶτον τὸ παραδοξότατον, εἰ βούλει, σκόπει*; p. 667 a *κἀκεῖνο πρόσθες, εἰ βούλει*; p. 699 a *Εὔπολιν μὲν γάρ, εἰ βούλει, πάρες ἐν Κόλαξιν εἰπόντα* vix quisquam dubitabit, quin locus noster

---

[1]) Vid. ann. eius crit. ad h. l.

mancus sit ac sic explendus: *ὧν σκόπει τὸν πρῶτον εὐθύς, εἰ βούλει · καθάπερ κτλ.* Alio præterea eiusdem enuntiati vitio offendimur: *πρὸς ἀχανὲς πέλαγος ἱστίοις θεῖν* Græce dici posse non negaverim, quamquam certe *εἰς . . . πέλαγος* magis ex usu Plutarchi fuisset[1]; neutrum vero sententiæ huius loci satisfacit[2] et sine dubio viri docti prave ita Latine interpretati sunt: ‚quemadmodum qui datis velis vastum pelagus navigant'. Ad hunc sensum Hercherus festinantius orationem Plutarchi accommodavit scribendo *οἱ τὸ ἀχανὲς θέοντες ἱστίοις πέλαγος,* quæ structura, si omnino Græca, certe rarissima est. Ego eam non magis ferri posse credo quam *θεῖν πεδίον* et similia, quorum exemplum nullum reperire potui, neque enim huc pertinet Plut. Fab. Max. c. 26 (p. 189 d), ut credat quis fretus lexico Wyttenbachii, nam in codicibus exstat *θεούσῃ παρὰ τὸν ἔσχατον κίνδυνον.* Fortasse scribendum *οἱ ἐπ' ἀχανὲς κτλ.,* quod requiri ratio recta cogit; verum tamen dubito, num genuina scriptura sic reperta sit, cum non satis appareat, quomodo mendum ortum sit.

p. 76 c—d (cap. III).

τὸ γὰρ

‚εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο
καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις'

οὐ πρὸς ἀργυρίου μόνον αὔξησιν εἴρηται καλῶς, ἀλλ' εἰς ἅπαν ποιεῖ, μάλιστα δ' εἰς ἀρετῆς ἐπίδοσιν.

Wyttenbachii explicationem huius loci probare nequeo. Etsi enim verbum *ποιεῖν* nonnunquam, præcipue apud scriptores medicinæ, ita positum est, ut significetur ‚facere,

---

[1]) Comp. Plut. Æmil. Paul. c. 25, 5 cum annot. Heldii; Wyttenbachii animadv. ad Mor. p. 76 c.

[2]) Utrumque Latine non aliter verti potest quam ‚celeriter *in* immensum mare velis ferri'.

conducere ad rem aliquam', hoc non modo a Plutarchi loquendi genere prorsus alienum est (quod ad rem diiudicandam etsi non magnum, tamen aliquod momentum habere puto), verum etiam ab eo, quod requirit sententia orationis, cum præceptum illud Hesiodi non ad omnia conducat neque utile sit, velut certe alia lex operis quærenda non minus in iis, quæ tantummodo indole et ingenio continentur, quam ubi subito et celeriter facto opus est. Una littera mutata vera, ut opinor, detegitur scriptura[1]); scribendum enim *ἀλλ' εἰς ἅπαντα ποιεῖ, μάλιστα δ' εἰς ἀρετὴν, ἐπίδοσιν κτλ.*, i. e.: ‚sed (hoc præceptum) omnibus rebus, imprimis vero virtuti incrementum adfert' (scil. iis hominibus, qui eam sequuntur). Ita etiam difficultas, quam supra in phrasi *εἰς ἅπαντα ποιεῖ* inesse docui, tollitur, nam ipsa illa locutione *ἐπίδοσιν ποιεῖν* vocabulum *ἅπαντα* ita circumscribitur, ut eas tantummodo res contineat, in quibus omnino incrementum fieri possit. Comp. de phrasi *ἐπίδοσιν ποιεῖν* Polyb. I, 36, 2 *Χάνθιππος δὲ τηλικαύτην ἐπίδοσιν καὶ ῥοπὴν ποιήσας τοῖς Καρχηδονίων πράγμασι*; id. II, 36, 2 *μεγάλην ποιήσας ἐπίδοσιν τοῖς Καρχηδονίοις πράγμασι*, præterea IV, 55, 3; Plut. Mor. p. 143 b *εὔνοιαν τῷ ἀνδρὶ ποιεῖν πρὸς ἑαυτήν*; p. 734 a *ποιῆσαι νοσημάτων καινῶν γένεσιν.*

p. 77 a (cap. IV).

ὡς γὰρ ἡ τοῦ καλάμου βλάστησις ὁρμὴν ἔχουσα πλείστην καὶ καλλίστην ἀπ' ἀρχῆς εἰς μῆκος ὁμαλὸν καὶ συνεχές, τὸ πρῶτον ἐν διαστήμασι μεγάλοις ὀλίγας λαμβάνουσα προσκρούσεις καὶ ἀντικοπάς, εἶθ' οἷον ὑπ' ἄσθματος ἄνω δι' ἀσθένειαν ἀπαγορεύουσα πολλοῖς ἐνίσχεται καὶ πυκνοῖς τοῖς γόνασι, τοῦ πνεύματος πληγὰς καὶ τρόμους λαμβάνοντος κτλ.

---

[1]) Prave Hirschigius in Philologo V p. 348 delet *ποιεῖ.*

Sic omnes libri melioris notæ, nisi quod in quibusdam non diserte nominatis omittuntur vocabula *καὶ καλλίστην*. Duebnerus editionem Aldinam et Basileensem secutus scripsit *τρόμους ἔχοντος,* fretus, ut opinor, auctoritate satis incerta. Fateor me in postremis verbis *(τοῦ πνεύματος - λαμβάνοντος)* hærere, neque in hac difficultate, quantum video, ab interpretibus adiuvamur. Si tradita scriptura integra esset, angustias spiritus defectum incrementi attulisse finxisset Plutarchus, cui vix arbores spiritum ducere in mentem venit, nam angustiæ spiritus, quæ paulo ante commemorantur, (*οἷον ὑπ' ἄσθματος-ἀπαγορεύουσα)* manifesto a comparatione arundinis, primum celeriter sese in altum erigentis, deinde paulatim deficientis, *cum homine* celeri cursu exanimato translatæ sunt.[1]) Huc accedit, quod absurde et, quantum scio, sine exemplo spiritus *πληγὰς καὶ τρόμους λαμβάνειν* dicitur.[2]) Itaque non dubito, quin interciderit aliquid ante *τοῦ πνεύματος* in hanc fere sententiam: »*τοῦ στελέχους ὑπὸ*« *τοῦ πνεύματος πληγὰς καὶ τρόμους λαμβάνοντος,* i. e. ‚arundo superne crebris nodis intercipitur vigore stirpis deminuto, quippe quæ assidue vento feriatur et concutiatur'.

p. 77 b (cap. IV).

τῷ δ' αὖτε πτερὰ γένετο δι' ὠφέλειαν διαφερομένῳ καὶ διακόπτοντι τὰς προφάσεις ὥσπερ ὄχλον ἐμποδὼν ὄντα ῥώμῃ καὶ προθυμίᾳ τῆς ἀνύσεως.

Initio orationis positum est fragmentum versus Homerici[3]),

[1]) Vid. etiam loci, quos citavit Wyttenbachius in animadversionibus ad Plut. Mor. 76 f.

[2]) Wyttenbachius in lexico s. v. *πληγή* citat Mor. 879 e; scribere sine dubio voluit 978 f; ibi autem *πνεύματος πλῆθος,* non *πνεύματος πληγή* exstat.

[3]) Cf. Homer. Il. XIX, 386.

quem Plutarchum consulto minus accurate citavisse puto[1]); nam aoristum, quem omnes codices præter deteriores aliquot (T, V, B) præbent, gnomicum esse, ostendit oratio antecedens *(οὕτως-ἀπηγόρευσαν)*; quam vicem aoristi imperfectum *(γίγνετο)*, quod Duebnerus, quem sequuntur Hercherus et Bernardakis, cum ipsa Homeri verba quam accuratissime restituenda esse crederet, in oratione Plutarchi posuit, vix explere potest; Hercherus paulo ante *αὖτε* mutavit in *εὖτε*, sumptum et ipsum ex eodem fonte Homerico; fortasse recte; verum qua auctoritate freti idem v. d. et Bernardakis pro *διαφερομένῳ* scripserint *φερομένῳ*, miror, nec minus, cur *δι' ὠφέλειαν* corrigere voluerint Reiskius et Wyttenbachius. Mea sententia sana est librorum scriptura, nisi quod *fortasse* post *διαφερομένῳ* exciderunt pauca quædam velut *πρὸς τὸν σκοπόν*. Dubitationis et confusionis causam dedit verbum *διαφέρεσθαι*, quod prave Reiskius, a quo in animadversionibus non multum discrepat Wyttenbachius, ‚perrumpere, perfringere obstacula' Latine verti posse credit; significat autem nostro loco[2]) et omnino non raro apud Plutarchum ‚ferri, celeriter agitari'; velut Moral. p. 97 f; 419 b; 563 f; 725 c; Eumen. c. XV; Cæsar. c. XXXIII; Brut. c. XLII; Galb. c. XXVI. Vertendum igitur deleto alienæ orationis signo sic fere: ‚alter[3]) vero quasi alas quasdam propter utilitatem (scil. quam e virtutis studio capturus est) nactus celeriter

---

[1]) Hanc citandi rationem, qua verba laudata, ordine paulum mutato numerisque ex parte solutis, ipsius scriptoris verbis interponuntur, a consuetudine Plutarchi prorsus non abhorrere, multis exemplis demonstrari potest; cf. ea copia, quam in Hermæ vol. XXI p. 381—90 collegit Th. Kochius; v. præterea Cobetus in Mnemosyne N. S. I p. 359, 360, 362, 364.

[2]) Hoc iam Xylander, quamquam alioqui locum prave interpretatus est, recte intellexit.

[3]) Tanquam paulo ante scripserit *ὁ μέν*, non *ὅσοι*.

»ad propositum« fertur omnesque excusationes quasi turbam obstantem dimovet cet.'

p. 78 a (cap. V).

ὅταν οὖν οἱ τοιοῦτοι κατασπασμοὶ γένωνται μὴ πολλάκις, αἵ τε πρὸς αὐτοὺς ἐξαιρήσεις καὶ ἀνακρούσεις τοῦ φρονήματος ὥσπερ ἐκ τροπῆς ταχεῖαι παρῶσι κτλ.

Utrum *ἐξαρνήσεις* scribendum sit an *ἐξάρσεις* an *ἐξερείσεις* an *ἐξαιρέσεις,* utrum Madvigii[1]) acumen verum indagaverit an Emperii[2]) an Hercheri[3]) an Wyttenbachii et Bernardakis[4]), hoc loco non diiudicaverim ego, neque enim possum ‚has componere lites'. Hoc certum est, aliud vitium, quod emendatione facili et probabili tolli potest, adhuc criticos fefellisse. Xylander (nam de iis, quæ Wyttenbachius[5]), credo Amyotum secutus, hoc loco licenter in interpretatione Latina posuit, quippe prorsus perversis et a scriptoris verbis plus iusto discrepantibus tacere satius est) sed Xylander ita Latine vertit ‚. . . animusque tanquam *e fuga* adversum eas sese celeriter obiciens cet.'. Et hoc sine dubio perversum est, sed vitium orationi Græcæ, non interpreti tribuendum. Ridicule enim comparatio e fuga petitur, quasi homines fugientes celeriter redire soleant. Scripsit certe Plutarchus *ὥσπερ ἐκ στροφῆς ταχεῖαι παρῶσι κτλ.* Sæpe in codicibus post *K* excidisse C, nemo doctus nescit. Quoties autem in vocabulis *στρέφειν* et *στροφή* errore aliquo *σ* oblituerat, librarii

---

[1]) Comp. Advers. crit. I p. 618.

[2]) Cf. Opuscula ed. Schneidewin p. 324.

[3]) Vid. ed. eius.

[4]) Vid. Symbolæ p. 46; idem (Bernardakis) in editione ab Hercheri partibus stat.

[5]) Hunc sequitur Duebnerus.

propter similitudinem et significationis et litterarum substituebant *τρέπειν* et *τροπή*, velut paulo supra (p. 77 f) codices *λογισμοὺς τρέποντας αὐτὸν κτλ.* præbent, Iunius[1]) egregie *λογισμοὺς στρέφοντας αὐτὸν*[2]) *κτλ.* coniecit, quam emendationem Bernardakis non minus quam Duebnerus et Hercherus iniuria repudiaverunt. Verum eo redeamus, unde profecti sumus: fingit scriptor *ἐξαρνήσεις* (an quid aliud) *καὶ ἀνακρούσεις* mentis paululum quasi aversas impetum libidinum non sensisse, deinde periculo animadverso celeriter *tanquam conversas*[3]) adesse ad impetum propulsandum; comp. Xenoph. de re equest. VII, 17: *ἐπειδάν γε μὴν ἐκ τῆς στροφῆς εἰς τὸ εὐθὺς βλέπῃ ὁ ἵππος, ἐν τούτῳ πρὸς τὸ θᾶττον αὐτὸν ὁρμάτω.*

p. 78 b (cap. VI).

. . . *οὐ φαῦλον ἄν τι προκοπῆς εἴη σημεῖον ἡ πρὸς ταῦτα πραότης ἑκάστου κτλ.*

ἑκάστου valde friget et molestum est hic, ubi non de singulis hominibus sed universe de signo quodam et indicio profectus animi in virtute agitur. Præterea non omnis hominis est *(ἑκάστου)* tantum in virtute proficere, ut eius modi temerarias amicorum admonitiones æquo animo ferat. Itaque puto scribendum esse *ἑκάστοτε* (comp. Plut. Moral. p. 953 c); de vocabulorum ordine cf. Madv. Synt. Gr. § 10 ann. 6 p. fin. et huius libelli cap. VII (p. 79 b): *τὴν ἀληθῆ προκοπὴν προκόπτειν καὶ ἄτυφον.*

p. 79 a (cap. VII).

οὕτω δὴ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος ἔφη νέοις οὖσιν ἔτι λεχθέντων μόλις ὀψὲ τοὺς πολλοὺς αἰσθάνεσθαι γέροντας γενομένους.

---

[1]) Vid. de eo præf. ed. Wyttenbachii p. 149.

[2]) I. e. ‚eum agitantes'.

[3]) Danice ‚ligesom efter at have drejet sig om'.

Dure et rarissime *μόλις* et *ὀψέ* sic nude componuntur, cum alibi semper coniunctione *καί* iungantur. Hercheri coniecturam *μόλις ποτέ* equidem non repudiarem, nisi mihi persuasum esset, locum nostrum ad communem solutæ orationis consuetudinem revocandum esse scribendo *μόλις καὶ ὀψὲ πολλοὺς κτλ.*

p. 79 c (cap. VIII).

ὥσπερ γὰρ ἄνθεσιν ὁμιλεῖν ὁ Σιμωνίδης φησὶ τὴν μέλιτταν ‚ξανθὸν μέλι μηδομέναν', οἱ δ' ἄλλοι χρόαν αὐτῶν καὶ ὀσμήν, ἕτερον δ' οὐδὲν ἀγαπῶσιν οὐδὲ λαμβάνουσιν οὕτω κτλ.

Bene Madvigius pro *οὕτω* coniecit *οὕτως ὁ,* sed aliud mendum intactum reliquit: *τὴν μέλιτταν* et *οἱ ἄλλοι* ineptissime inter se opponi, quis non videt? Vix dubitare possis, utrum significentur *omnia* alia animalia præter apem, et homines et bestiæ, an soli homines. Illud enim fieri non potest, quod bestiæ flores non olfaciunt. Verum haud facile crediderim, ullum scriptorem tanta licentia vocabulorum significationes turbasse, ut pro *οἱ δ' ἄνθρωποι* posuerit *οἱ δ' ἄλλοι.* Igitur hoc loco, nam sententia verborum manifesto *οἱ δ' ἄνθρωποι* flagitat, vitium latet, sine dubio e compendio a librario aliquo prave soluto ortum; nam in archetypo vetere scriptum erat non *ἌΛΛΟΙ* sed *ἈΝ̅Ο̅Ι̅* i. e. *ἌΝΘΡΩΠΟΙ.*[1]) Eadem correctio, qua Reiskius Plut. Moral. p. 115 e genuinam restituit scripturam, fortasse adhibenda est etiam apud Dionem Chrysost. XXXIII, 408 a (edit. Emperii XXXIII, 47), ubi nunc exstat *τοῖς ἄλλοις ὄντας ἀφανεῖς.*

---

[1]) Cf. N. Lehmann: Die tachygraphischen Abkürzungen der griech. Handschriften. Leipzig 1880 p. 1—2.

p. 79 e (cap. VIII).

εἶτα πρὸς ἑαυτὸν ‚ὦ Ἡράκλεις' ἔφη, ‚ὡς οὐδέν ἐστι μικρὸν οὐδ' ἀσθενές, ὃ μὴ ζήσεται τολμῶν ἀμύνεσθαι'.

Eadem res iisdem fere verbis narratur Apophtheg. reg. et imp. p. 190 b; Apophtheg. Lac. p. 219 c; utroque loco recte in libris exstat *οὕτως οὐδέν* vel mutato ordine *οὐδὲν οὕτως*. Nihilo minus nostro loco pravam codicum scripturam excepto Reiskio, qui aliquanto violentius quam necesse erat coniecit *οὐδέν ἐστιν οὕτως μικρόν*, intactam reliquerunt critici et editores; nec Wyttenbachius[1]) difficultatem non videt, sed mire excusat aliisque exemplis defendere conatur absentiam adverbii *οὕτως*, quasi hæc sola offendat ac non magis etiam illud *ὡς*, quod quomodo quis tueri possit, non video; neque enim omnino hæc exclamantis sunt. Mihi *οὕτως οὐδέν ἐστι μικρόν* necessario scribendum esse videtur.

p. 82 c (cap. XI).

ὁ δὲ τὴν οὐσίαν τῆς μοχθηρίας μᾶλλον ἢ τὴν ἀδοξίαν δυσχεραίνων οὐ φεύγει τὸ κακῶς ἀκοῦσαι καὶ εἰπεῖν ἐπὶ τῷ βελτίων γενέσθαι.

Vocabula *καὶ εἰπεῖν*, in quibus manifesto corruptela aliqua latet (nemo enim aliis vituperandis ipse moribus emendatur) propter hiatum deleri non possunt. Suspicor Plutarchum scripsisse *καί, εἰ δεῖ, παθεῖν*; causa vitii fortasse fuit, quod librarius aliquis in scribendo plura verba in unum incuria conflavit; cf. Wyttenbachii ann. crit. ad p. 94 e, mea ad p. 99 c; p. 156 e.

---

[1]) In animadvers. ad h. l.

p. 82 c—d (cap. XI).

χάριεν γὰρ . . . . καπηλείῳ γίγνῃ.

Reiskius primus vitium sensit, sed levia eius et inconsiderata commenta *εἰς τὸ κατάγειον, εἰς τὸ μαγειρεῖον, εἰς τὴν κατήλιπα, εἰς τὸ ὀπτανεῖον* cum ipsa se refellant, tacite omitto. Etiam Wyttenbachius hæsit, sed quam commendat in animadversionibus medicinam: interpretandi *ἐν καπηλείῳ* ‚ad cauponam', nulla est, neque enim ulla causa fuisset, cur iuvenem facti puderet, si eum extra cauponam versantem conspicatus esset Diogenes.[1]) Hoc ne ipsum quidem Wyttenbachium fefellisse videtur. Madvigii emendatio[2]), qua recta restituitur sententia, propter nimiam audaciam mihi non arridet; suspicatur enim *καταφυγόντα δ' εἴσω.* ‚*Ὅσῳ, γὰρ εἶπεν, ἐνδοτέρω*' scribendum esse, deletis vocabulis *τὸ καπηλεῖον,* quæ addita sint, cum *εἴσω* in *εἰς* corruptum esset. Equidem credo simplicius et facilius genuinam scripturam erui posse; nam intercidit fortasse post *εἰς τό* propter litterarum similitudinem *εἴσω.* Scripserat igitur Plutarchus *καταφυγόντα δ' εἰς τὸ »εἴσω« καπηλεῖον* i. e. ‚fugientem in interiorem partem cauponæ, ubi sese e via non videri posse speravit; comp. Thuc. III, 21 *διὰ δέκα δὲ ἐπάλξεων πύργοι ἦσαν . . . διήκοντες ἔς τε τὸ ἔσω μέτωπον αὐτοῦ* (scil. *τοῦ τείχους*). Video Bernardakim in ann. crit. editionis suæ coniecisse *εἰς τὸ καπηλεῖον εἴσω,* quod quid significet, non intellego. — Unus præterea scripulus restat: propter antecedens *ὅσῳ* vix crediderim, Plutarchum ante *μᾶλλον* omisisse *τοσούτῳ,* cuius absentia membrorum concinnitas turbatur. Hoc addito sententiæ ratio mihi constare videtur.

---

[1]) Iisdem argumentis ea coniectura refutatur, quam idem in annot. crit. proposuit: *εἴσω τοῦ καπηλείου.*

[2]) Advers. crit. I p. 619.

p. 83 d—e (cap. XII).

οἷς οὖν οὕτω εὐόνειρα . . . . ἐπὶ τοῖς λόγοις ἀσάλευτον.

Temere Hercherus codicum scriptura repudiata coniecturaque Reiskii *(λέγομεν)* recepta ipse *ταῦτα* ante *τῆς προκοπῆς* in *τούτοις* mutavit. Sed omnia sana sunt, modo recte explicentur: Toto hoc capite[1]), quo quæritur, quantum ad profectus in virtute cognoscendos valeant somnia, manifesto aliorum philosophorum opiniones Plutarchus exponit; ipse dubitat et quid sentiat caute postremis capitis versibus indicat *(εἴτε-ἀσάλευτον)*. Recte igitur eorum verbis loquitur, qui rem experti sunt, quique testantur, eius modi somnia læta *(ταῦτα)* quasi quasdam imagines repercussas profectuum suorum esse. — De pronomine *ταῦτα* cf. Madv. Synt. Gr. § 98 a nota. Post *ἐοικέναι* tollenda interpunctio, nam genetivus *ψυχῆς*, cui *appositione* adiuncta sunt participia sequentia *(ἐχούσης-πλαττομένης)* pendet e substantivis antecedentibus *(ῥαχίαις-σάλοις)*, quod nisi ita se haberet et *τῆς ψυχῆς-πλαττομένης* genetivus absolutus esset, frigeret *τισί,* quod nunc apte additur, cum non de veris fluctibus maris agatur, sed de animi motibus, ad quos nomina illa *(ῥαχίαις-σάλοις)* tacita comparatione transferuntur.

p. 83 e (cap. XII).

ταῦτα μὲν οὖν συνεπισκόπει καὶ αὐτὸς κτλ.

Scribendum *ἐπισκόπει,* non *συνεπισκόπει,* i. e. ‚considera *una mecum',* nam *συνεπισκόπει* et *καὶ αὐτός* inter se tollunt. Præterea vix is verbo *συνεπισκοπεῖν* uti potest, qui ad alias trangrediens disputationes ipse locum quem *relinquit* alii deliberandum tradit. Veri simile est, pravam scrip-

---

[1]) Comp. initium capitis.

turam ortam esse geminatione trium litterarum vocis antecedentis. Restat, ut explicemus verba *ἐπὶ λόγοις,* quæ in fine capitis occurrunt, quæque tacite omiserunt interpretes excepto Kaltwassero, a quo non recte intellecta sunt; *λόγοι* significant *philosophiam, doctrinam*[1], *ἐπί præter*[2], ut sic fere vertendum sit: ‚Verum tu ipse considera, utrum hoc profectus signum sit an habitus animi præter doctrinam etiam constantiam et firmitatem adepti'.

p. 85f (cap. XVII).

. . . *τὸ δὲ μηδὲν οἴεσθαι κατ' αἰσχύνην μέγα μηδ' ἔχειν εὐχερεῖς ποιεῖ καὶ ὀλιγώρους πρὸς τὰ μικρά.*

Sic C, Turn., Vulc., Bong.; in aliis non melioris notæ *καταισχύνειν* exstat; vulgatam *κατ' Αἰσχύλον* recte ut omni sensu et auctoritate cassam explosit Wyttenbachius, qui, nescio quomodo, scripturas codicum Parisinorum hic non accurate recenset, quanquam hoc in loco tam foede corrupto maxime optandum erat. Editores recentiores, qui et ipsi maxime Parisinorum auctoritate nituntur, discrepant: Duebnerus *καταισχύνειν,* Hercherus et Bernardakis *κατ' αἰσχύνην* scripserunt. In tanto virorum doctorum silentio scire velim, num re vera intellexerint ipsi et sana crediderint, quæ in editionibus posuerunt; equidem, sive hanc sive illam scripturam sequor, et in singulis verbis et in universa orationis sententia offendo, quippe cuius initium (*τὸ δὲ-ἔχειν*) ex vocabulis pæne temere conflatis compositum esse videatur. Si ex his *μηδὲν οἴεσθαι κατ' αἰσχύνην* (vel *καταισχύνειν*) *μέγα μηδ' ἔχειν* omnino sensus elici poterat[1]), is minime huic loco aptus

---

[1]) Cf. Plut. Dion c. XI *ἄνδρα πεπαιδευμένον περὶ λόγων*; ibid. c. XIII *φορὰ δέ τις ἦν ἐπὶ λόγους καὶ φιλοσοφίαν*; ibid. c. XVII *καὶ περὶ λόγους καὶ περὶ φιλοσοφίαν εὐσχήμονας διατριβάς.*

[2]) Comp. Madv. Synt. Gr. § 73, 2, d.

esset, ut statim sequentia ostendunt, nam fac putet aliquis, *nullam rem* magnum opprobrium habere, non modo minora flagitia (audiendum enim necessario ad *τὰ μικρά* nescio unde *ἁμαρτήματα*) hic facile in se admittat, sed etiam maiora, si sine periculo fieri possit. Hac ratione etiam Reiskius, qui pro *μηδ' ἔχειν* scribendum censuit *μηδὲ δεινόν*, refellitur. Ego locum sic sanari posse credo: ut ostendit adiectivum *τὰ μικρά,* interciderunt paulo supra verba quædam velut *πᾶν ἁμάρτημα*; his post *οἴεσθαι* interpositis reliqua, coniectura non admodum audaci adhibita, ita corrigenda sunt, ut scribatur *τὸ δὲ μὴ δεινὸν οἴεσθαι πᾶν ἁμάρτημα καὶ αἰσχύνην μεγάλην ἔχειν εὐχερεῖς ποιεῖ κτλ.* i. e. ‚non credere omne peccatum turpe esse et magnum dedecus habere facit, ut homines minora facile in se admittant et neglegant'; *αἰσχύνην ἔχειν,* cum *αἰσχύνην* obiectum est verbi, vulgo de eo dicitur, quod habet dedecus, non de eo, quem pudet; cf. Krüger ad Thuc. I, 5, 1; similia apud Plutarchum occurrunt velut Mor. p. 72 a *πίστιν ἔχειν*; p. 700 d *κίνδυνον ἔχειν*; p. 1118 e *συγγνώμην ἔχειν.* Si quis *μηδὲ* pro *καί* exspectet, negationem ad infinitivum *οἴεσθαι,* non ad *δεινόν* pertinere sciat; cf. Plut. Mor. p. 87 d *μήτε πράττειν μηδὲν ὀλιγώρως καὶ ἀπερισκέπτως*; Eur. Troad. v. 99; Iphig. Aul. 1372; Thuc. I, 45; Xenoph. Cyrop. I, 4, 25. De omisso autem infinitivo *εἶναι* cf. Soph. Oed. Colon. 1526; Eur. Med. 54; Thuc. I, 91; 107; Xen. Cyrop. IV, I, 3; Plat. Lach. 185 b; Dem. 19, 314.

p 86 a (cap. XVII).

ὑπὲρ οὗ τὸν Πολύκλειτον οἰόμεθα λέγειν ὡς ἔστι χαλεπώτατον τὸ ἔργον, οἷς ἂν εἰς ὄνυχα ὁ πηλὸς ἀφίκηται.

---

[1]) Quid valeat hoc *μηδὲν κατ' αἰσχύνην μέγα ἔχειν* nescio et sitne omnino Græcum dubito.

Perverse Hercherus, spreta ingeniosa Reiskii emendatione *ὑπέρεν-οἰόμενοι*[1]), recepit improbabilem Wyttenbachii coniecturam *ὅταν εἰς ὄνυχα.* Pronomen relativum recte se habet, valet enim *εἴ τινι*; cf. Krügeri Gr. Gr. § 51, 13, 11 et inter exempla ab eo laudata imprimis Xenoph. *Οἰκ.* IV, 19. Qua codicum auctoritate nitatur illud *αὐτῶν,* quod in omnibus editionibus præter Hercheri et Bernardakis prave post *χαλεπώτατον* interponitur, propter silentium editorum non liquet.

Πῶς ἄν τις ἀπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο.

p. 87 a—b (cap. II).

ὥσπερ γὰρ τὰ ῥωμαλέα τοῖς στομάχοις καὶ ὑγιεινότατα τῶν ζῴων ὄφεις ἐσθίοντα καταπέττει καὶ σκορπίους, ἔστι δ' ἃ καὶ λίθοις καὶ ὀστράκοις τρέφεται, μεταβάλλουσι δὲ δι' εὐτονίαν καὶ θερμότητα πνεύματος, οἱ δὲ σικχοὶ κτλ.

Citavit hæc Suidas s. v. *σικχός,* nonnullis prætermissis, paucis mutatis, sic: *Τὰ ῥωμαλεώτερα τῶν ζῴων τοὺς στομάχους σκορπίους καὶ ὄφεις κατεσθίοντα καταπέττει· οἱ δὲ σικχοὶ καὶ νοσώδεις ἄρτον καὶ ὕδωρ προσφερόμενοι ναυτιῶσιν*; verum nihil est, cur eius diligentia freti, nullam necessitatem vel saltem probabilitatem secuti, a codicum nostrorum vestigiis discedamus, nec imitanda Hercheri inconstantia, qui, cum *ἐσθίοντα* intactum relinquerit, tamen sententia orationis non cogente *τὰ ῥωμαλεώτατα* et *τοὺς στομάχους* scripsit, illud ne Suida quidem auctore. Idem vir doctus paulo infra *μεταβάλλουσι*

---

[1]) In compluribus codicibus deterioris notæ exstat *οἰόμενοι,* cf. Wyttenbachii animadv. ad h. l.

in *μεταβάλλει* mutavit, quippe qui ad verbum *μεταβάλλειν τὰ ζῷα* subiectum audiri recte crederet, sed vereor ne procul a vero erraverit. Primum apparet, non solum illud vitium (numerum pluralem prave positum), quod Hercherus tollendum esse censuit, sed plura alia in his verbis *ἔστι δ'ἃ-πνεύματος* offendere, velut narrationem ipsam fabulosam et improbabilem, quæ tantam auctoris credulitatem ostendit, quanta vix Plutarcho imputanda est, tum structuram molestam et impeditam *ἔστι δ'ἃ-μεταβάλλουσι δὲ κτλ.*, et accusativum, quem mire regit præpositio *διά,* cum Plutarchus certe *μεταβάλλουσι δὲ δι' εὐτονίας καὶ θερμότητος* scripturus fuerit, nam illud alterum ineptum est; denique non video (sed hoc ultimo loco habeo), quid commoverit Suidam, ut verba *ἔστι δ'ἃ-πνεύματος* omitteret, nisi quod in exemplo, quo usus est, non exstabant. Itaque facere non possum, quin credam, partem lemmatis, omnibus illis vitiis, quæ his verbis inesse supra demonstravi, foedatam vel librarium incuriosum, qui temere has nugas a margine in orationem scriptoris transtulit, vel interpolatorem arguere, eaque omissa sic scribendum esse: *ὥσπερ γὰρ τὰ ῥωμαλέα τοῖς στομάχοις καὶ ὑγιεινότατα τῶν ζῴων ὄφεις ἐσθίοντα καταπέττει καὶ σκορπίους, οἱ δὲ σικχοὶ κτλ.*

p. 87 d (cap. III).

τοῦτο οὖν ὠφέλιμόν ἐστι, πάνυ μὲν οὖν εὐλαβούμενον ζῆν καὶ προσέχειν ἑαυτῷ καὶ μήτε πράττειν μηδὲν ὀλιγώρως καὶ ἀπερισκέπτως μήτε λέγειν κτλ.

Corruptelam aliquam in his verbis latere, multi editores non intellexerunt; ne Reiskius quidem veram viam ad difficultatem expediendam vidit; is enim ex phrasi *πάνυ μὲν οὖν* iniuria collegit, Plutarchum addere voluisse *εἰ δὲ μή, ἀλλὰ τά γε ἐλάχιστα ἁμαρτάνειν* aut simile aliquid in hanc

sententiam: ‚ante omnia quidem danda opera, ut neque verbo neque facto pecces; quod si autem id fieri nequeat, saltem cavendum est, ut minima paucissimaque pecces', sed abreptum sermonis impetu et rerum copiis obrutum, aliis ex aliis implicitum, sui ipsum oblitum esse et orationem imperfectam reliquisse. Verum etiamsi orationem in illam sententiam Reiskio auctore suppleamus, non rectius decurrit, nec quomodo hæc cum antecedentibus cohæreant, intellegitur. Primus Wyttenbachius, Duebnero probante, secutus codices Parisinos C et E, hac interpunctione *Τοῦτο οὖν ὠφέλιμόν ἐστι; πάνυ μὲν οὖν · εὐλαβούμενον κτλ.* tolerabilem sensum restituit. Sed vel ita infinitivos, qui sequuntur, non aptam explicationem habere, ostendunt ipsius animadversiones, ubi aperte in his hæret vir doctus. Hercherus non sine causa post *πάνυ μὲν οὖν* lacunam signavit, verum quæ supplenda essent, non invenit, nec magis Cobetus[1]), qui ad sententiam ille quidem recte, verbis parum probabiliter ita scribendum esse censuit *Πάνυ μὲν οὖν (τοῦτο γὰρ μάλιστα διδάσκει ἕκαστον ἡμῶν καὶ συνεθίζει) εὐλαβούμενον ζῆν κτλ.* Mihi vix dubium videtur, quin post *πάνυ μὲν οὖν* interponendum sit *ὠφέλιμόν ἐστι,* quod librarius, cum prave ex superioribus repetitum esse crederet, hoc loco omisit. Scribendum igitur *Τοῦτο οὖν ὠφέλιμόν ἐστι; πάνυ μὲν οὖν ὠφέλιμόν ἐστιν εὐλαβούμενον ζῆν κτλ.*

p. 88 d (cap. IV).

ἂν δὲ λοιδορῆσαι προαχθῇς, ἄπαγε πορρωτάτω σεαυτὸν ὢν λοιδορεῖς ἐκεῖνον . ἐνδύου τῇ ψυχῇ, περισκόπει τὰ σαθρά, μή τίς σοί ποθεν ὑποφθέγγηται κακία τὸ τοῦ τραγῳδοῦ

‚ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων'.

[1]) Mnemosyne N. S. I, 362.

In libris melioribus exstat *κακίᾳ*, in deterioribus aliquot[1]) recte *κακία*. Quibus vero rationibus commotus Hercherus hoc vocabulum deleverit, non intellego. Plutarchus, cum conscientiam quasi loquentem inducit, ‚cave' inquit, ‚ne tibi alios exagitanti vitium aliquod ex angulo animi tui (*ποθέν*) exprobret illud tragoedi'. Igitur suam quodque quasi sedem in animo vitia habere fingit ac ne quis de sententia dubitaret, præmisit illa *ἐνδύον τῇ ψυχῇ*, quæ, si Hercherum sequamur, inepta sint, nam quamvis innocenti homini malevolus aliquis talia obicere potest.

p. 90 c (cap. VIII).

καὶ τὸ ‚ἔνια ἐξίπτασθαι τῶν ῥημάτων αὐτόματα' τοῖς ἀνασκήτοις μάλιστα θυμοῖς 'οἷον ὀλισθάνουσι καὶ διαρρέουσιν ἐπιγίγνεται δι' ἀσθένειαν θυμοῦ δι' ἀκρατῆ γνώμην διαίτῃ θρασείᾳ.

Qui traditam scripturam recte explicare potest ‚Oedipus non Davos est' ut ego; improbabilis coniectura Reiskii, scribentis *δι' ἀγωγὴν θρασείαν* pro *διαίτῃ θρασείᾳ*, qua nec sensus admodum iuvatur neque omnes tolluntur difficultates, falsam orationi integritatis speciem inducit. Quod si quis non credit, singula mecum deinceps vitia persequatur; ita et genera corruptelæ et temeritas correctionis Reiskianæ, quam æque temere recepit Hercherus, clarius apparebunt. Primum igitur difficile dictu est, quid hic valeat verbum *διαρρέουσιν*; deinde sive altero loco *θυμόν* iram et libidinem sive animum interpretamur, *ἀσθένεια* vix rectam sententiam habere potest; coniunctionem post *θυμοῦ* ægre desiderari, iam Wyttenbachius vidit, qui in animadversionibus non sine probabilitate

[1]) T. V. B.

δι' in *καὶ* mutandum esse censet (*ΔΙ, ΚΑΙ*); postremum additur ad cetera menda quasi corollarium ingratum illud *διαίτῃ θρασείᾳ*, quod, ni fallor, nullo modo apte structuræ accommodari potest. Quærendum pro nomine **ἀσθένειαν** aliud ad sententiam orationis magis aptum; quod si quis Plutarchum **ἀσέλγειαν** (i. e. ferociam) scripsisse existimat, fortasse non erret; certe haec verba in codicibus litteris uncialibus scriptis valde inter se similia sunt (*ΑCΘΕΝΕΙΑΝ, ΑCЄΛΓЄΙΑΝ*). Reliqua menda ex ordine verborum turbato originem traxisse puto, qui si, transpositis vocabulis **οἷον ὀλισθάνουσι καὶ διαρρέουσιν** post **γνώμην,** restituitur, locus mihi explicari posse videtur. Ad locutionem **διαίτῃ θρασείᾳ** recte Wyttenbachius comparavit Plut. Moral. p. 800 d; **διαρρεῖν διαίτῃ θρασείᾳ** (i. e. diffluere moribus solutis) non minus quam **ὀλισθάνειν** hic translate dictum esse ostendit addita comparationis particula (*οἷον*); dativus inusitatius sed non sine exemplo positus est pro vulgata structura **ὑπὸ διαίτης θρασείας**; comp. Heliod. Aethiop. X, 13. Igitur postremam partem totius enuntiati inde a verbis **δι' ἀσέλγειαν** sic vertendam esse censeo: ‚. . . cum propter ferociam animi et rationis infirmitatem quasi labuntur et effrenatis moribus diffluunt'.

p 90 d (cap. VIII).

οὔ τι μὴν τούτου σεμνότερον καὶ κάλλιόν ἐστι τοῦ λοιδοροῦντος ἐχθροῦ τὴν ἡσυχίαν ἄγειν ‚λισσάδα πέτραν φιλοκέρτομον ὥς παρανηχομένους' κτλ.

In libris exstat *οὔτε μήν* et *τὸ λοιδοροῦντος*; altera correctio Madvigio [1]) debetur, alteram, quæ eidem viro sagacissimo

[1]) Advers. crit. I p. 619.

in mentem venit, iam Reiskius occupavit. Unde sumpserit Plutarchus versum illum vel fragmentum versus (nam quin poetæ hæc verba tribuenda essent nemo adhuc dubitavit) nec doctissimus Wyttenbachius nec, quod sciam, quisquam alius eruit. Sed hoc minoris momenti est, maioris illud quod versus ille menda laborat, quam omnes editores intactam reliquisse miror. Poeta sine dubio dicere voluit: ‚præternatantes cavillatorem (an quid aliud) tanquam arduum scopulum', non ‚præternatantes arduum scopulum tanquam cavillatorem'. Nam si de rupe re vera præternatanda cecinisset, comparatio a cavillatore sumpta non modo valde frigeret sed sensu prorsus careret. Etiam hoc loco verborum ordo turbatus est, quod tantum non in animadversionibus intellexit Wyttenbachius; scripsit Plutarchus: *λισσάδα πέτραν ὣς φιλοκέρτομον παρανηχομένους*. Metrum restituere, quippe in fragmento valde incertum, supersedere satius est præsertim cum, ut supra obiter Wyttenbachium secutus commemoravi, haud sciam an Plutarchus de suo, fortasse alio vocabulo eiecto, interposuerit *φιλοκέρτομον*.

p. 90 f (cap. IX).

ἐχθροῦ δὲ καὶ τὸ τιμωρίαν παραλιπεῖν ἐν καιρῷ παρασχόντος ἐπιεικές ἐστι.

Prave Xylander, quocum consentiunt Amyotus et Kaltwasser, ita interpretatur: ‚Ceterum oblata occasione ulciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est'. Si hæc sententia esset, infeliciter noster in sermonem valde obscurum et vix Græcum hic delapsus esset, cum scribere deberet *παραλείπειν καιροῦ παρασχόντος*, quod ex coniectura pro eo, quod in codicibus exstat, substituit Hercherus probavitque Bernardakis[1])

[1]) Vid. editio eius.

Credat fortasse quis, librorum scripturam recte se habere, nam *ἐν καιρῷ* nonnunquam apud Plutarchum idem valere atque *ποτέ* (= aliquando), contendit Wyttenbachius in lexico suo duobus locis fretus, sed horum alter, Moral. p. 132 f—133 a, ubi in codicibus exstat: *φιλόλογον δ' ἄνδρα καὶ φιλόμουσον ἐν καιρῷ δεόμενον βραδυτέρου δείπνου διάγραμμα παρακείμενον . . . οὐ προίενται τῇ γαστρὶ λεηλατούμενον,* aptissime emendatus est a Meziriaco scribente *ἐν καιρῷ δεομένῳ,* quod manifesto sententiæ melius convenit, alter (ibid. p. 135 a) prorsus non huc pertinet. Porro, si cui in mentem venerit, fortasse codd. Mosquenses verum præbere et *παρασχόντι* scribendum esse, ne hoc quidem fieri potest, vetante hiatu. Cum his difficultatibus oppressus tenerer, tandem aliquando, omnibus iam diligentius consideratis, subito occurrit, et quomodo corruptela orta esset et qua ratione sanari posset. Nam ad participium *παρασχόντος,* quod appositione adiunctum est antecedenti *ἐχθροῦ,* auditur ex superioribus *τιμωρίαν* vel potius *ἑαυτόν* [1]) (scil. *τιμωρεῖσθαι*) i. e.: oblata occasione (scil ulciscendi). Quod cum lectori alicui obscurum videretur, illud *ἐν καιρῷ,* i. e. occasione oblata (cf. Plut. Moral. p. 201 e) adscripsit in margine, unde postea in orationem librarii errore translatum est. Scribendum igitur *ἐχθροῦ δὲ καὶ τὸ τιμωρίαν παραλείπειν* [2]) [*ἐν καιρῷ*] *παρασχόντος ἐπιεικές ἐστι.* Quanquam eius modi additamentis non scatent codices librorum moralium, tamen non admodum raro, occurrunt cf. ann. meæ ad p. 10 b, p. 43 b, p. 106 b, p. 117 c—f, p. 153 f, Hercheri [3]) ad p. 110 e, exempla, quæ in Mnemos. N. S. I p. 363 collegit Cobetus.

---

[1]) Vid. animadv. Wyttenbachii ad Plut. Mor. p. 67 a locique ab eo laudati.

[2]) Hactenus Hercheri correctioni assentior.

[3]) Herm. XI p. 229.

p. 91 c (cap. IX).

εἶτα χρῶνται πρὸς τοὺς φίλους αὐτοὶ ὑπὸ συνηθείας, ἂν μὴ φυλάξωνται πρὸς τοὺς ἐχθρούς.

Locum corruptum esse non admodum sagacis est intellegere. Delevit audacius Hercherus contra librorum consensum pronomen *αὐτοί,* quod sane molestum est; verum ne hoc quidem sublato vel, ut mavult Bernardakis[1]), in *αὐτούς* mutato, tolerabilis sensus efficitur. Nam si, vel his mutationibus, traditam scripturam sequimur, condicio *ἂν μὴ φυλάξωνται* (scil. *χρῆσθαι*) *πρὸς τοὺς ἐχθρούς* parum apte additur, quippe quæ quodam modo tollat id ipsum, quod causa esse dicitur, cur homines contra amicos malis artibus utantur. Credo, Wyttenbachium his fere rationibus adductum particulam *ὡς* post *φυλάξωνται* intercidisse non sine causa suspicatum esse; sed plura deesse, ostendit vel hiatus *(αὐτοὶ ὑπό)*; fortasse spiritu pronominis mutato unaque littera addita lacuna sic explenda est: *εἶτα χρῶνται πρὸς τοὺς φίλους αὑτοῖς ὑπὸ συνηθείας, ἂν μὴ φυλάξωνται, »κακῶς ὡς« πρὸς τοὺς ἐχθρούς*; cf. Plut. Alex. c. XLV s. fin. *ὅμως οὐκ ἐπαύετο χρώμενος ἑαυτῷ πρὸς τοὺς κινδύνους ἀφειδῶς*; Demetr. c. I m. *τῶν κεχρημένων ἀσκεπτότερον αὑτοῖς*; ibid. c. XIX m. *ἐχρῆτο πρὸς τὰς ἡδονὰς ἀνειμένως αὑτῷ.*

p. 91 c (cap. IX).

Hercherus vix recte traditam scripturam ita mutavit: *εἴπερ οὖν ὀρθῶς ὁ Πυθαγόρας . . . ὀρνέων τε θήρας παρῃτεῖτο καὶ βόλους ὠνούμενος ἰχθύων ἐκέλευεν ἀφιέναι κτλ.* — In

[1]) Vid. editio eius.

libris exstat *ὀρνέων τε θηρευτὰς παρῃτεῖτο,* quod manifesto vitio laborat, si quidem hæc structura *παραιτεῖσθαι τινά τινος,* ut significetur ‚rogare aliquem aliquid', aliena est a Græcæ linguæ consuetudine; mire Xylander sensu neglecto ‚aucupes improbavit', Wyttenbachius ‚aucupes exorabat' interpretantur. Sine dubio scripsit Plutarchus *ὀρνέων τε θήρας θηρευτὰς παρῃτεῖτο* (venatores aves quas ceperant rogabat). Nocuit etiam hoc loco litterarum similitudo *(ΘΗΡΑC ΘΗΡЄΥΤΑC),* qua deceptus librarius priores ut errore geminatas omisit.

p. 91 e (cap. IX).

ταῦτα μὲν οὖν αὐτοῦ τῆς δόξης ἔχει τεκμήριον μέγιστον· ἀλλὰ μεῖζον καὶ κάλλιστον ὅτι τῷ δικαίῳ χρῆσθαι καὶ πρὸς ἐχθροὺς ἐθισθέντες κτλ.

Sic omnes libri; *κάλλιον,* quod plerique recentiores editiones habent, coniecturæ Reiskii debetur, sed vel hac adhibita locus non sanus est; mihi quidem bifariam suspicionem movet; nam postquam dixit Plutarchus, auctoritatis Catonis maximum esse signum, quod inimicis de integritate eius persuasum esset, absurde additur, nihilo minus aliud etiam maius exstare. Quod signum maximo maius esse potest? Deinde paulo infra alia difficultate offendor: enuntiatum enim, quod a particula *ὅτι* incipit, cum antecedentibus verbis *ἀλλὰ μεῖζον καὶ κάλλιον,* ad quæ ex superioribus necessario auditur *τεκμήριον,* apte coniungere nequeo, si quidem hæc sententia auctoritati Catonis prorsus non argumento esse potest. Ego non dubito, quin scripserit Plutarchus *ταῦτα μὲν οὖν αὐτοῦ τῆς δόξης ἔχει τεκμήριον μέγιστον· οὐδ' ἄλλο μεῖζον καὶ κάλλιον ἔστιν, ὅτι* (i. e. quoniam) *τῷ δικαίῳ κτλ.* Omissa propter litterarum duarum antecedentium et unius sequentis similitudinem coniunctione *(οὐδ'), ἄλλο,*

ut aliqua saltem sententiam efficeretur, in ἀλλά mutatum est, verba κάλλιον ἐστιν incuria librarii alicuius in κάλλιστον conflata sunt. Latine locum sic verto: ‚Hæc quidem maximum continent testimonium auctoritatis Catonis; neque (omnino) ullum aliud testimonium maius et pulchrius exstat, quoniam cet.' Video, coniectura iam facta, alium locum prope simili mendo laborantem eadem correctione adhibita sanasse Emperium[1]), qui p. 90 d pro prava librorum scriptura *παρανηχομένους · ἀλλὰ μείζων ἄσκησις* recte restituit *παρανηχομένους, οὐδ' ἄλλη μείζων ἄσκησις.*

Περὶ Πολυφιλίας.

p. 93 c (cap. II).

Αἴτιον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα γ' εἰς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις κτλ.

Totum hoc caput compluribus locis lacunis aliisque corruptelis misere foedatum est, velut in iis, quæ statim sequuntur, Madvigius egregia sagacitate genuinam restituit scripturam, initium capitis, quod supra descripsi, adhuc medicum suum exspectat, cuius partibus me fungi posse spero. — *Ἐναντίον,* quod pro *αἴτιον* substituendum esse censuit Wyttenbachius quodque receperunt Duebnerus et Bernardakis, difficultatem non tollit; nam phrasis *ἐναντίον εἴς τι* vix Græca est; nec magis placent ea, quæ Reiskius coniecit:

---

[1]) Cf. Opuscula eius ed. Schneidewin p. 324.

εἰς φιλίας οὐδεμιᾶς κτῆσιν vel *εἰς ἀφιλίας κτῆσιν,* quoniam his coniecturis in dicendi genus æque abstrusum incurrimus; et, si Hercherum secuti *ἐναντιοῦται . . . πρός* scribimus, vereor ne mutatione admodum improbabili longius æquo a codicum vestigiis abducamur. Mihi accuratius rem deliberanti non verba tradita mutanda, sed lacuna explenda esse videtur, quo remedio plurimos locos horum librorum ad salutem reducendos esse non paucis exemplis et supra ostendimus et infra demonstrabimus. Quæ interciderunt fortasse ita suppleri possunt: *Αἴτιον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα »τοῦ μὴ ἥκειν« εἰς φιλίας κτῆσιν.* Nocuit similitudo vocabulorum antecedentium. Si cui hiatus post *μή* dubitationem iniciat, comparetur Schellens de hiatu cet. p. 13; Moral. p. 140 b *μὴ ἡδέως,* p. 1095 f *μὴ ἡδονή.* Ordo verborum non a Plutarchi consuetudine abhorret, cf. Moral. p. 125 f *ὁ μὲν οὖν Κράτης διὰ τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν οἰόμενος οὐχ ἥκιστα τὰς στάσεις . . . ἐμφύεσθαι ταῖς πόλεσι*; p. 154 c. Utroque loco sicut nostro locutio *οὐχ ἥκιστα* ab eo vocabulo, ad quod sententia recte referenda erat, abstracta est.

p. 93 e (cap. II).

σύννομον γὰρ ἡ φιλία ζῷον οὐκ ἀγελαῖόν ἐστιν οὐδὲ κολοιῶδες, καὶ τὸ ἄλλον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον καὶ προσαγορεύειν ἑταῖρον, ὡς ἕτερον, οὐδέν ἐστιν ἄλλο πλὴν μέτρῳ φιλίας τῇ δυάδι χρωμένων.

Sic codices A, C, E, Bernensis[1]); in D exstat *ἑταῖρον ἕτερον οὐδέν ἐστιν ἢ μέτρῳ κτλ.,* de qua scriptura in præfatione[2]) disputavi; unde irrepserit illud *καὶ ἑταῖρον* inter

[1]) Bremi in Philolog. XI p. 583.
[2]) Pag. 10.

verba ἑταῖρον et ὡς inculcatum, quod primus Wyttenbachius explosit, nescio. Sed vel hoc eiecto locus a lectoribus stultis et librariis incuriosis pessime habitus vitiis scatet. Hercherus interpolatam scripturam codicis D secutus non satis habuit eam soluta reddere oratione et sine mutationibus, ut caute fecit Bernardakis[1]); addito de suo articulo ante ἑταῖρον, versum pepigit, non elegantissimis illum quidem numeris decurrentem, sed versum. Quam vere Terentianus Maurus: ‚Pro captu lectoris habent sua fata libelli'. Spretis his ineptiis redeamus ad editiones Wyttenbachii et Duebneri, quæ, quamvis et ipsæ hoc loco corruptelis foedatæ, tamen vestigia genuinæ, ut opinor, scripturæ servarunt, itaque quasi ansam quandam præbent, qua fortasse verum consequi possumus. Primum pro αὐτόν scribendum esse αὑτόν (i. e. amicum alterum *se ipsum* habere) et sententia docet et exempla a Wyttenbachio in animadv. comparata[2]); deinde lenissima correctione verbis οὐδέν ἐστιν in οὐδενός ἐστιν mutatis (facillime enim terminatio *OC* ante '*ЄCTIN* excidere potuit) lacuna, qua locus laborat, sic supplenda est: καὶ τὸ ἄλλον αὑτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον καὶ προσαγορεύειν ἑταῖρον, ὡς ἕτερον »αὑτὸν« (scil. ὄντα) οὐδενός ἐστιν ἄλλου πλὴν μέτρῳ φιλίας τῇ δυάδι χρωμένων, i. e. ‚et amicum alterum se ipsum existimare eumque, quasi sit alter ego, ἑταῖρον appellare, nulli alii possunt nisi qui mensura amicitiæ numero binario utuntur'. Fingit videlicet Plutarchus, nomen ἑταῖρος ab vocabulo ἕτερος esse ductum. Sentententia perspicua est: vera amicitia, cuius signum certissimum est amicum alterum se ipsum habere, tantummodo in iis reperitur, qui non plures quam duos foedere id genus iungi posse credunt.

---

[1]) Quam sententiam habeat coniectura Bernardakis (vid. edit. eius) ἑτέρων οὐδενός, non intellego.

[2]) Teste Bernardaki (vid. edit. eius) hoc in codice nescio quo exstat.

Restat, ut pauca accuratius explicemus. Primum enim participium verbi *εἶναι* in accusativis absolutis, qui vocantur, cum *ὡς* coniunctis nonnunquam audiri, nemo doctus nescit; comp. Madv. Synt. Gr. § 182 annot. 3; Plat. Prot. 323 b; Gorg. 495 c; Thuc. II, 35, 1; III, 94, 3; Plut. Moral. p. 161 e; Aristid. cap. XVIII s. fin.; Sintenis ad Plut. Themist. pag. XLIX. Alterum hoc est: de genetivo *οὐδενός ἐστιν ἄλλου* (i. e. nemo alius potest) cf. Madv. Synt. Gr. § 54 a; Plut. Moral. p. 114 f *μεμηνότος οὖν ἐστι τὸ οὕτως ὑπολαμβάνειν κτλ.*; p. 168 d *ἔστιν ἀνθρώπου μὴ πεπεισμένου θεοὺς εἶναι . . . ἀποκεῖραι κόμην κτλ.* De locutione denique *οὐδὲν ἄλλο πλήν* a Plutarcho non sæpe pro communi *οὐδὲν ἄλλο ἤ* usurpata comp. Cat. mai. cap. XX; Moral. p. 1042 b.

p. 94 a (cap. III).

Τὸν δὲ φίλον ἡμεῖς ‚μοῦνον' μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι, μετ' ἄλλων δὲ τηλύγετός τις καὶ ὀψίγονος ἔστω.

Sic libri, qui excussi sunt; teste H. Stephano pro *ἄλλων* in codice nescio quo exstat *ἄλλου,* quod temere receperunt Hercherus et Bernardakis. Quid hac mutatione consequi voluerint, mihi quidem valde dubium, cum utraque scriptura æque obscura sit. *Μετ' ἄλλων* opponi antecedenti *μοῦνον* et verborum ordo et particulæ *μὲν-δέ* ostendunt, nec fortasse procul a vero erret, qui credat, verba *μετ' ἄλλων δέ* ut interpolata eicienda esse; adscripta erant in margine a lectore, cui *μοῦνον* hic explicatione egere videbatur. Igitur interposita post *τηλύγετος* particula *δέ,* quæ propter alterum *δέ* deleta est, sic scribendum: *‚μοῦνον' μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι, [μετ' ἄλλων δὲ] τηλύγετος δέ τις καὶ ὀψίγονος ἔστω.*

p. 94 d (cap. III).

ἀλλ' ὥσπερ σιτίον βλαβερὸν καὶ δυσχεραινόμενον οὔτε κατέχειν οἷοντε μὴ λυποῦν καὶ διαφθεῖρον οὔτ' ἐκβάλλειν οἷον εἰσῆλθεν ἀλλ' εἰδεχθὲς καὶ συμπεφυρμένον καὶ ἀλλόκοτον, οὕτω κτλ.

Exspectes certe *μηδὲ διαφθεῖρον,* non *καὶ διαφθεῖρον,* sed tamen tradita scriptura ab hac difficultate ferenda erat (cf. quæ supra ad p. 85 f dixi), nisi etiam structura prava accederet et corruptelam argueret; nam *κατέχειν τι μὴ λυποῦν καὶ διαφθεῖρον* Græce prorsus non dici potest pro eo quod est *κατέχειν τι, ὥστε μὴ λυπεῖν.* Emendatio facillima et certa est; scribendum enim litteris rectius divisis unaque addita *οὔτε κατέχειν οἷοντ', εἰ μὴ λυποῦν καὶ διαφθεῖρον*; cf. Kr. Gr. Gr. 65, 5, 11.

p. 95 b (cap. V).

. . . ἡ δὲ πολυφιλία διίστησι καὶ ἀποσπᾷ καὶ ἀποστρέφει . . . οὐκ ἐῶσα κρᾶσιν οὐδὲ κόλλησιν εὐνοίας ἐν τῇ συνηθείᾳ περιχυθείσῃ καὶ παγείσῃ γενέσθαι.

Hæc vix sana sunt; inepte enim non ipsam conglutinationem benevolentiæ, sed consuetudinem circumfundi (scil. amicis) et firmari statuitur; recta ratio docet, participia ad *εὐνοίας* referenda esse; itaque oratione rectius interpuncta scribendum . . . *οὐκ ἐῶσα κρᾶσιν οὐδὲ κόλλησιν εὐνοίας, ἐν τῇ συνηθείᾳ περιχυθείσης καὶ παγείσης, γενέσθαι,* quam correctionem mecum communicavit v. d. M. C. Gertzius. De tempore participiorum cf. Madv. Synt. Gr. § 183 ann. 2; Plut. Mor. 59 d; 63 d; 69 f.

p. 96 d (cap. VIII).

καὶ γὰρ δὴ τοῦτο πάντων μέγιστόν ἐστιν ἐναντίωμα πρὸς τὴν πολυφιλίαν ὅτι τῇ φιλίᾳ γένεσις δι' ὁμοιότητός ἐστιν.

De optimorum librorum scripturis non constat; deteriorum alii (T, V, B) *φιλίας*, alii *φιλία* præbent; unde Hercherus et Bernardakis scripturam, quam supra in lemmate posui *(τῇ φιλίᾳ)*, sumpserint, nescio; sed in talibus rebus codicum nostrorum auctoritas exigua est, nec dubito, quin dativus retinendus sit, quem tota oratio genuinum esse docet. Verum hæc mutatio vulgatæ scripturæ non sufficit. Articulus *(ἡ)*, qui ægre desideratur ante *γένεσις*, restituendus; aliter enim non diserte enuntiatur, hanc *solam* originem esse amicitiæ, quæ Plutarcho iudice nullum alium habet fontem; cf. huius lib. p. 96 e.

Περὶ τύχης.

---

p. 98 f (cap. III).

ἀλλ' ἐν πᾶσι τούτοις ἀτυχέστεροι τῶν θηρίων ἐσμέν· ἐμπειρίᾳ δὲ καὶ μνήμῃ καὶ σοφίᾳ καὶ τέχνῃ κατ' Ἀναξαγόραν σφῶν τι αὐτῶν χρώμεθα καὶ βλίττομεν καὶ ἀμέλγομεν καὶ φέρομεν καὶ ἄγομεν συλλαμβάνοντες, ὥστε κτλ.

Latere hic aliquod vitium vel indoctus facile videt. Libri non admodum discrepant. In codice D *βλίττομεν* exstat; in reliquis prave *βλήττομεν*; *σφῶν τε αὐτῶν* præbet cod. C, quo fretus Wyttenbachius, quem secuti sunt Duebnerus, Hercherus, Bernardakis, pro magis vitioso vulgato *τι* dedit *τε'*; sed valde dubium est, illudne magis vitiosum sit; certe hæc mutatio ipsa per se sententiam non iuvat. Scriptura exempli Turnebi *σφριγῶντι αὐτῶν* sine dubio coniectura infelici nititur. Omnem illam farraginem correctionum

inutilium, quam certissima corruptela conflavit, enumerare supersedeo, præsertim cum pleræque iam ab Huttenio et Wyttenbachio diligenter collectæ sint. Tantummodo recentiores conatus Pflugkii[1], Madvigii[2], Sauppii[3], Bernardakis[4], æque ut opinor improbabiles breviter commemorabo. Omnes *τε* genuinum esse mendumque in pronomine *σφῶν* latere credunt, quod Pflugkius in *σώμασι,* Madvigius in *πόνῳ,* Sauppius in *ἔργῳ,* Bernardakis in *ἐρίῳ* mutandum esse censent. Equidem credo, Reiskium recte lacunam signavisse, supplementum eius *σφῶν διαφέροντες, τί ἐστιν, ᾧ αὐτῶν οὐ χρώμεθαι* propter temeritatem probare nequeo. Fortasse interposito post *Ἀναξαγόραν* adverbio *διαφερόντως* facillima vel prope nulla correctione adhibita scribendum *καὶ τέχνῃ κατ' Ἀναξαγόραν*[5] »*διαφερόντως*« *σφῶν πάντων (ΠΑΝΤΩΝ, ΤΙΑΥΤΩΝ) χρώμεθα. σφῶν,* non *αὐτῶν* positum est, quod Plutarchus Anaxagoræ verba citat.

Gertzius *νόσφιν αὐτῶν* scriptum fuisse suspicatur; eadem coniectura mihi quoque in mentem venit, sed nullum exemplum eius modi usus verbi *νόσφιν* invenire potui.

p. 99 c (cap. IV).

καὶ γὰρ τῆς φρονήσεως μόρια καὶ σπάσματα μικρὰ θρανομένης καὶ κατακερματιζομένης εἰς τάξεις κεχώρηκε.

---

[1]) Cf. Schedæ criticæ in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1848 p. 889.

[2]) Cf. Advers. crit. I p. 620.

[3]) Emendat. Plutarcheæ. Ind. schol. Gott. 18?3; ipsum librum non vidi. cf. Bursian Jahresberichte 30 p. 283.

[4]) Vid. editio eius.

[5]) Anaxagoram animalia ratione quadam uti existimasse ostendunt verba Aristotelis de part. anim. IV, 10 (687 a 7): *Ἀναξαγόρας μὲν οὖν φησὶ διὰ τὸ χεῖρας ἔχειν φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζώων ἄνθρωπον.*

Sic omnes codices melioris notæ; in quibusdam deterioribus (Vulc., Turn.) exstat ἀποσπάσματα, quod magis usui vulgato convenit, sed docte Wyttenbachius in animadversionibus aliis Plutarchi locis σπάσματα defendit. Xylander, quem fere ad verbum sequuntur editio Reiskiana, Wyttenbachius, Kaltwasser, hæc verba Latine ita interpretatur: ‚sic enim prudentiæ particulæ quædam in minuta frusta divisæ in ordines sunt redactæ'. Ipsene interpretationis auctor eam satis intellexerit, dubito. Qua vero auctoritate fretus Amyotus[1]) locum sic Gallice verterit ‚aussi les parties et fragmens de la prudence departie et decoupee en plusieurs sont devenus arts', prorsus nescio; credo eum, cum verba Græca corrupta esse intellegeret, ex ingenio id posuisse, quod ei ad sententiam maxime accommodatum videbatur; nam hoc certum est, τάξεις nullo modo ferri posse, quoniam repugnaret scriptoris sententiæ, particulas prudentiæ late dispersas denuo quasi in maiora corpora vel ordines coisse, quippe qui demonstrare conetur, ei, qui vitam humanam diligentius consideret, ubique mentis, non fortunæ effectus occurrere. Explicatio, quam Wyttenbachius in animadversionibus proposuit: ‚hæc igitur φρονήσεως fragmenta hic illic in ordinem coierunt et quancunque artem effecerunt', præcedentibus verbis refellitur καὶ μὴν αἱ τέχναι μικραί τινες εἶναι λέγονται φρονήσεις, μᾶλλον δ' ἀπορροαὶ φρονήσεως καὶ ἀποτρίμματα ἐνδιεσπαρμένα ταῖς χρείαις ταῖς περὶ τὸν βίον, unde etiam apparet mendum coniectura Matthæi[2]) εἰς διαφόρους τάξεις sanari non posse. Fortasse causa corruptelæ erant duo vocabula incuria in unum conflata, ut scribendum sit καὶ γὰρ τῆς φρονήσεως μόρια . . . εἰς τὰς πράξεις κεχώρηκε,

---

[1]) Les oevvres morales de Plutarque. Paris 1603 I p. 335.

[2]) Vid. ed. Huttenii I p. 309 et præf. pag. XXIX.

i. e. ‚etenim particulæ et frusta prudentiæ contusæ et concisæ in negotia vitæ abierunt', de origine corruptelæ comp. annot. mea ad p. 82 c et 91 e; *αἱ πράξεις* nonnunquam apud Plutarchum significant ‚negotia vitæ', comp. Moral. p. 9 f, 126 b, 136 d, 209 f.

p. 99 c (cap. V).

Θαυμαστὸν οὖν ἐστι πῶς αἱ μὲν τέχναι τῆς τύχης οὐ δέονται πρὸς τὸ οἰκεῖον τέλος, ἡ δὲ πασῶν μεγίστη καὶ τελειοτάτη τέχνη καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς ἀνθρωπίνης εὐφημίας καὶ δικαιώσεως οὐδέν ἐστιν . ἀλλ' ἐν ἐπιτάσει . . . ἐστιν κτλ.

In codice D exstat teste Bernardakı[1]) *ἀλλ' ἐπιτάσει . . . ἔνεστιν,* ceteroqui libri non discrepant; excidisse autem adiectivum *ἄλλαι* inter *μέν* et *τέχναι,* sententia verborum docet, nam inepte opponuntur inter se *αἱ μὲν τέχναι* et *ἡ δὲ πασῶν μεγίστη . . . τέχνη*; nec minus absurde pleniora hæc membra orationis *αἱ μὲν »ἄλλαι« τέχναι τῆς τύχης οὐ δέονται* et *ἡ δὲ πασῶν μεγίστη . . . τέχνη . . . οὐδέν ἐστιν.* Sine dubio scribendum est *ἡ δὲ πασῶν μεγίστη καὶ τελειοτάτη τέχνη οὐδέν ἐστιν ἄλλο* scil. *ἡ τύχη.* Sic demum alterum alteri recte respondet, præsertim cum Plutarchus eam opinionem refellere conetur, quam toti huic disputationi versu inclusam præmisit, *Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία.* Nocuit litterarum sequentium similitudo *(ΑΛΛΟ, ΑΛΛЄΝ).*

Παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον.

Post versus aliquot ex ignoti alicuius poetæ tragoedia sumptos hæc legimus.

[1]) Vid. præf. edit. eius p. XXI.

p. 106 b (cap. VIII—IX).

κελεύει γὰρ αὐτὴν ἐνθυμεῖσθαι τὰ τῶν ἴσα καὶ μείζω δυστυχούντων, ὡς ἐσομένην ἐλαφροτέραν. (IX) *Ἐνταῦθα γὰρ ἂν τις ἑλκύσειε καὶ τὴν τοῦ Σωκράτους φωνὴν τὴν οἰομένην, εἴ συνεισενέγκαιμεν κτλ.*

Prima pars huius circuitus verborum *κελέυει-ἐλαφροτέραν* quantum video neque cum antecedentibus neque cum sequentibus sententia cohæret. Explicat argumentum versuum laudatorum, et si abesset illud *γὰρ* post *κελεύει,* vehementer interpolationis speciem præ se ferret, quales non paucæ in hoc libello, ut mox ostendam, inculcatæ sunt. Sed ad hæc postea revertemur, nunc sequentia considerabimus; in iis enim, quamvis et ipsis ænigmatum plenis, etiam illorum explicatio latet. — Hæserunt in his verbis, ut par erat, viri doctissimi Xylander et Reiskius, sed ne hi quidem ullam probabilem vitiorum medicinam invenerunt, nec magis Cobetus, criticus et ingeniosissimus et audacissimus, qui omni salute loci desperata facete in Mnemos. N. S. I p. 364 ‚Pessime' inquit ‚mulcatus est locus . . . Quidquid attigeris, ulcus est. Quid est *ἕλκειν* in tali re? Quid *φωνή*? Monstrum et portentum *φωνὴ ἡ οἰομένη*! Sed satius est hæc præterire; *τί γὰρ πλέον ποιοῦμεν*; modo scias absurda esse. Subridebis ad Wyttenbachii interpretationem'. Haud scio an non mihi dolendum sit, quod ingenium illud egregium tam festinanter et quasi ‚socco non adstricto' has sordes librorum relinquere properavit; videor enim mihi leni correctione genuinam scripturam sic restituere posse: *ἐνταῦθα γὰρ ἄν τις ἀκούσειε καὶ τὴν τοῦ Σωκράτους φωνὴν τελειουμένην, εἴ κτλ.*; erratum hic facile oriri potuisse nemo negabit, qui vocabula, de quibus agitur, litteris uncialibus descripta cogitatione informaverit. Nomen *φωνή* Cobet in dubium vocare non debuit; significat enim hic, ut sæpius apud

Plutarchum, ‚dictum' velut Moral. p. 44 a, 90 d, 133 b, 140 e 145 e, 330 f, 694 a, 793 c, 1117 d. Vertendum igitur sic fere: ‚Ibi (scil. in versibus laudatis) enim audiat quis apparere, quam verum sit illud (vel dictum) Socratis: si cet.'. Iam omnes facile intellegent, quo referenda sint verba illa *κελεύε γὰρ ἐλαφροτέραν;* de quibus postea me dicturum esse supra promisi. Sunt enim re vera nihil aliud nisi interpretatio lectoris alicuius adscripta in margine ad initium capitis noni, qua sibi explicavit, quare in versibus laudatis audire posset, Socratis dictum verum apparere. De eius modi additamentis, quæ in hoc libello sæpius occurrunt, vid. Hercheri annot. ad p. 110 e et p. 118 a[1]); mea ad p. 117 c —f. Obiter notandum, adulescentem Plutarchum, hunc enim huius libelli scriptorem esse existimo, temere hic notissimum Herodoti dictum (VII c. 152) fortasse maioris auctoritatis causa Socrati tribuisse.

p. 107 d (cap. XII).

ὁ δὲ Σωκράτης . . . κακὸν εἶναι . καὶ καθ' ἕκαστον ἐπεπορεύετο καὶ πρῶτον τῷ πρώτῳ.

Apud Platonem[2]) ita scriptum videmus: *Δυοῖν γὰρ θάτερόν ἐστι τὸ τεθνάναι . ἢ γὰρ οἷον μηδὲν εἶναι μηδὲ αἴσθησιν μηδεμίαν μηδενὸς ἔχειν τὸν τεθνεῶτα, ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα καὶ μετοίκησις τῇ ψυχῇ τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον . καὶ εἴτε μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις κτλ.* Apparet ex his, Socrati apud Platonem ‚non esse' et ‚sine sensu esse', ut mors somno altissimo similis sit, idem videri; itaque noster non modo neglegenter citavit, quod facile ignoscas, sed si hæc verba *καὶ καθ'*

[1]) Herm. XI p. 229–30.
[2]) Apol. p. 40 c.

ἕκαστον ἐπεπορεύετο καὶ πρῶτον τῷ πρώτῳ recte tradita sunt, sed memoriam eum infeliciter fefellit, cum Socrates nusquam, ut opinor, de tertia illa comparatione accuratius disputaverit. Huc accedit, quod, etiamsi verum esset, Socratem seorsum tria illa deinceps persecutum esse, hoc inepte commemorasset noster, quoniam prorsus nullius momenti est, quo ordine Socrates de singulis disputaverit, præsertim cum non modo verbis sed ne rationibus quidem iisdem utatur. His de causis corruptelam aliquam latere credo; codices nullum ferunt auxilium, quippe qui teste Wyttenbachio omnes *ἐπεπορεύετο* habeant. Offendit commemoratio Socratis. Quidni scribamus *καὶ καθ' ἕκαστον ἐπιπορευτέον καὶ πρῶτον τῷ πρώτῳ*; ita orationis ratio optime constat: ipse scriptor singula sibi diligentius persequenda esse dicit et ordinem disputationis indicat.

p. 108 e (cap. XIII).

οὐκ ἀπᾴδειν δ' ἔοικε τούτων οὐδ' ὁ εἰπών
‚μηδεὶς φοβείσθω θάνατον ἀπόλυσιν πόνων'
ἀλλὰ καὶ κακῶν τῶν μεγίστων.

Recte Xylander verba *ἀλλὰ-μεγίστων,* quippe metro non parentia, ab antecedente versu disiunxit, nec placet mihi coniectura Wyttenbachii numerum sic restituentis: *ἴαμα τ' αὖ κακῶν μεγίστων* vel *ἴαμα τε κακῶν τῶν μεγίστων*; est enim nimis audax et improbabilis. Etiam initium capitis sequentis, quod veram corruptelæ originem detegit, huic mutationi repugnat. Omnibus testimoniis, quæ a Plutarcho laudata sunt, hoc tantummodo demonstratur, mortem non metuendam esse, cum incertum sit, utrum bonum an malum rectius habeatur, et incertus ille poeta, qui paulo ultra hunc finem procedit, dicitur non videri Plutarcho ab his dissentire

(οὐκ ἀπᾴδειν-τούτων). Num re vera conveniunt cum hac ratione scriptoris, quæ statim scripta videmus: *λέγεται δὲ τούτοις μαρτυρεῖν καὶ τὸ θεῖον· πολλοὺς γὰρ παρειλήφαμεν δι' εὐσέβειαν παρὰ θεῶν ταύτης τυχόντας τῆς δωρεᾶς*? Subito mors ex incerto quodam præmium fit, quod a dis egregiæ pietatis causa hominibus datur. Nonne magis veri simile est, post *μεγίστων* excidisse aliqua, in quibus alius scriptoris testimonio (nam ab aliorum sententiis ubique vel in minimis rebus disputationes huius libelli proficiscuntur) probabat noster, mortem non modo non malum esse, sed ab omnibus malis liberare et re vera donum esse deorum, in hanc fere sententiam: *ἀλλὰ καὶ κακῶν τῶν μεγίστων ἀπαλλάττειν αὐτὸν καὶ δωρεὰν θεῶν εἶναί φησιν ὁ δεῖνα λέγων,* deinde secutos esse versus aliquos eiusdem fere argumenti? Si vera est hæc sententia, quam etiam verborum ordo inusitatus et pæne poeticus *(κακῶν τῶν μεγίστων)* commendat, caput quartum decimum rectius ab *ἀλλὰ καὶ κακῶν* incipit quam ab *λέγεται.*

p. 109 f (cap. XV).

ἡ γὰρ αὐτὴ κατάστασίς ἐστι τῇ πρὸ τῆς γενέσεως ἡ μετὰ τὴν τελευτήν.

Hæc verba Gertzius non sine causa ut interpretamentum ad versus antecedentes delenda esse suspicatur.

p. 110 e (cap. XVI).

Post versus quosdam ignoti scriptoris, quorum sententia est, maximas quasque humanas res caducas esse, verba illa sequuntur: *τῶν χρημάτων . . . διαφθαρέντων,* quæ iam supra[1])

[1]) P. 111.

Restat, ut pauca accuratius explicemus. Primum enim participium verbi *εἶναι* in accusativis absolutis, qui vocantur, cum *ὡς* coniunctis nonnunquam audiri, nemo doctus nescit; comp. Madv. Synt. Gr. § 182 annot. 3; Plat. Prot. 323 b; Gorg. 495 c; Thuc. II, 35, 1; III, 94, 3; Plut. Moral. p. 161 e; Aristid. cap. XVIII s. fin.; Sintenis ad Plut. Themist. pag. XLIX. Alterum hoc est: de genetivo *οὐδενός ἐστιν ἄλλου* (i. e. nemo alius potest) cf. Madv. Synt. Gr. § 54 a; Plut. Moral. p. 114 f *μεμηνότος οὖν ἐστι τὸ οὕτως ὑπολαμβάνειν κτλ.*; p. 168 d *ἔστιν ἀνθρώπου μὴ πεπεισμένου θεοὺς εἶναι . . . ἀποκεῖραι κόμην κτλ.* De locutione denique *οὐδὲν ἄλλο πλήν* a Plutarcho non sæpe pro communi *οὐδὲν ἄλλο ἤ* usurpata comp. Cat. mai. cap. XX; Moral. p. 1042 b.

p. 94 a (cap. III).

Τὸν δὲ φίλον ἡμεῖς ‚μοῦνον' μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι, μετ' ἄλλων δὲ τηλύγετός τις καὶ ὀψίγονος ἔστω.

Sic libri, qui excussi sunt; teste H. Stephano pro *ἄλλων* in codice nescio quo exstat *ἄλλου,* quod temere receperunt Hercherus et Bernardakis. Quid hac mutatione consequi voluerint, mihi quidem valde dubium, cum utraque scriptura æque obscura sit. *Μετ' ἄλλων* opponi antecedenti *μοῦνον* et verborum ordo et particulæ *μὲν-δέ* ostendunt, nec fortasse procul a vero erret, qui credat, verba *μετ' ἄλλων δέ* ut interpolata eicienda esse; adscripta erant in margine a lectore, cui *μοῦνον* hic explicatione egere videbatur. Igitur interposita post *τηλύγετος* particula *δέ,* quæ propter alterum *δέ* deleta est, sic scribendum: *‚μοῦνον' μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι,* [*μετ' ἄλλων δὲ*] *τηλύγετος δέ τις καὶ ὀψίγονος ἔστω.*

p. 94 d (cap. III).

ἀλλ' ὥσπερ σιτίον βλαβερὸν καὶ δυσχεραινόμενον οὔτε κατέχειν οἷόντε μὴ λυποῦν καὶ διαφθεῖρον οὔτ' ἐκβάλλειν οἷον εἰσῆλθεν ἀλλ' εἰδεχθὲς καὶ συμπεφυρμένον καὶ ἀλλόκοτον, οὕτω κτλ.

Exspectes certe *μηδὲ διαφθεῖρον*, non *καὶ διαφθεῖρον*, sed tamen tradita scriptura ab hac difficultate ferenda erat (cf. quæ supra ad p. 85 f dixi), nisi etiam structura prava accederet et corruptelam argueret; nam *κατέχειν τι μὴ λυποῦν καὶ διαφθεῖρον* Græce prorsus non dici potest pro eo quod est *κατέχειν τι, ὥστε μὴ λυπεῖν.* Emendatio facillima et certa est; scribendum enim litteris rectius divisis unaque addita *οὔτε κατέχειν οἷόντ', εἰ μὴ λυποῦν καὶ διαφθεῖρον*; cf. Kr. Gr. Gr. 65, 5, 11.

p. 95 b (cap. V).

. . . ἡ δὲ πολυφιλία διίστησι καὶ ἀποσπᾷ καὶ ἀποστρέφει . . . οὐκ ἐῶσα κρᾶσιν οὐδὲ κόλλησιν εὐνοίας ἐν τῇ συνηθείᾳ περιχυθείσῃ καὶ παγείσῃ γενέσθαι.

Hæc vix sana sunt; inepte enim non ipsam conglutinationem benevolentiæ, sed consuetudinem circumfundi (scil. amicis) et firmari statuitur; recta ratio docet, participia ad *εὐνοίας* referenda esse; itaque oratione rectius interpuncta scribendum . . . *οὐκ ἐῶσα κρᾶσιν οὐδὲ κόλλησιν εὐνοίας, ἐν τῇ συνηθείᾳ περιχυθείσης καὶ παγείσης, γενέσθαι,* quam correctionem mecum communicavit v. d. M. C. Gertzius. De tempore participiorum cf. Madv. Synt. Gr. § 183 ann. 2; Plut. Mor. 59 d; 63 d; 69 f.

p. 96 d (cap. VIII).

καὶ γὰρ δὴ τοῦτο πάντων μέγιστόν ἐστιν ἐναντίωμα πρὸς τὴν πολυφιλίαν ὅτι τῇ φιλίᾳ γένεσις δι' ὁμοιότητός ἐστιν.

inepta et absurda, non decurrit. Præterea ordo verborum vehementer offendit; exspectamus enim hunc: *ἀλλ' εἰ λογίζοινθ' ὅτι παύσεται, προσαναλογίσαιντ' ἄν, τίνος γενομένου; κτλ.* Mihi vocabulum *χρόνου* non suo loco positum esse videtur. Fortasse hoc transposito et deleta particula *δηλαδή*, sic scribendum: *ἀλλ' εἰ λογίζοινθ' ὅτι παύσεται χρόνου τινὸς γενομένου, προσαναλογίσαιντ' ἄν · Τί ποιήσαντος;* Ita demum re vera nova accedit quæstio. — Si miretur quis, cur particulam *δηλαδή* delendam esse censeam, credo mendum inde ortum esse, quod lector adscripserat ad *Τί ποιήσαντος;* verba *χρόνου δηλαδή*. Hoc additamento orationi Plutarchi interposito, vocabulum *χρόνου* priore loco, quasi supervacaneum et errore additum esset, eiectum est. — In sequentibus ita Madvigii correctionem probo, ut nec intellegam unde irrepserit articulus, neque indicativum aoristi *(ἔδειξε)* apte superioribus adiungere possim; fortasse ita scribendum: „. . . *τί ποιήσαντος; τὸ μὲν γὰρ γεγενημένον οὐδὲ θεῷ δυνατόν ἐστι ποιῆσαι ἀγένητον · οὔκουν τὸ νῦν παρ' ἐλπίδα συμβεβηκὸς καὶ παρὰ τὴν ἡμετέραν δόξαν ἐνδείξαντος εἰωθὸς περὶ πολλοὺς γίγνεσθαι δι' αὐτῶν τῶν ἔργων;* Litterarum discrepantia levis est et membra orationis ita aptissime sententia cohærent. Comp. de structura verborum Madv. Synt. Gr. § 176 c.

p. 115 a (cap. XXVI).

Paulo infra capitum divisio parum apta infeliciter sententiæ nocet. Nam interrogationi illi, qua finitur caput XXVI: *τί οὖν; ἆρα γ' ἡμεῖς τοῦτο διὰ τοῦ λόγου μαθεῖν οὐ δυνάμεθα κτλ.*, respondet Plutarchus ipse initio capitis XXVII his verbis: *πολλοῖς γὰρ-τἀνθρώπινα κτλ.*, ut ante *πολλοῖς* audiendum sit *ναί*, cf. Krügeri Gr. Gr. § 69, 14, 7; Hermanni ann. ad Viger. 300 p. 826 ed. 4.

p. 117 d—e (cap. XXX—XXXI).

Temere Hercherus (D) ex ingenio οὐδὲν φευκτόν in οὐδὲν ἀπευκτόν mutavit, cf. Plut. Moral. p. 1042 e, p. 1060 c, p. 1063 e, p. 1070 c. Sed hoc levius; maioris est momenti, quod in sequentibus verba non pauca libidine vel incuria librariorum locum mutarunt. Iam Wyttenbachius in annotatione critica ad circuitum verborum καὶ ὅτι-ἀκμάζουσι ‚hæc' inquit ‚loco suo, unde mota sunt, reponenda videntur infra post ἐκφυγεῖν'. Errat sine dubio, cum hoc sententiæ satisfacere credit, sed errat in eam partem, quæ verior est. Verum, nescio quomodo in animadversionibus idem vir doctus sententiam retractat et ‚subaudiendum' inquit ‚νομιστέον ex antecedentibus. Nexus interruptus non debet corruptelæ suspicionem movere. Sic mox (E) καὶ ὅτι πολλοὶ pendet ab antecedente προειληφέναι'. Sed quid est hoc aliud quam vim facere legibus sermonis et sententiæ, si quidem ὑπειληφέναι (ita enim necessario cum Madvigio scribendum) ὅτι ἐπηκολούθησαν nihil est; præterea, si paulo supra νομιστέον audiendum esset, desideraretur apodosis. Etiam Madvigius eadem verba, quæ Wyttenbachius antea, ita loco mota esse censet, ut post κακουχίαις interponantur; non sine causa, ut opinor, sed non sufficit hoc; nam ut de ceteris difficultatibus taceam, velut quo referantur verba πρὸς πάντας δὴ τούτους τοὺς θανάτους ἐλαφρῶς ἑκτέον, neque enim de pluribus mortis generibus, sed tantummodo de morte immatura in hoc capite loquitur Plutarchus, cf. initium τίς γὰρ οἶδεν-ἀώρους, tamen intacta relinquitur molesta illa interclusio verborum πεπαιδευμένων-αἰῶνα, quæ quamvis ab Herchero uncis rotundis ab reliqua oratione seiungatur, nihilo minus sensum non modo interrumpit sed vehementer turbat. Primum pro certo affirmare ausim, duos illos verborum circuitus καὶ ὅτι-ἀκμάζουσι et πεπαιδευμένων-

αἰῶνα, utrumque eiusdem fere magnitudinis, cum alter 156, alter 165 litteras contineat, non illos quidem permutandos esse, sed priorem cum Madvigio post *κακουχίαις,* alterum in prioris locum post *ἐπακολούθησιν* ponendum esse. Credo hanc corruptelam non fortuitam esse sed deberi librario alicui, qui in eo offendit, quod illa *πρὸς πάντας δὴ τούτους τοὺς θανάτους κτλ.* in iis, quæ proxime antecederent, nihil haberent, quo referrentur. Adeptus est, quod voluit (nam statuo suspicionem meam veram esse), parum ille curans, hoc esse malum peius reddere. Verum prius quam ostendo, quomodo recte vitio manifesto mederi debuerit librarius, superiora paulo accuratius examinemus, ibi enim, ni fallor, explicatio ænigmatis latet. Statim apparet, initio capitis tricesimi primi mancam sententiam lacunæ suspicionem movere: exagitata perversitate hominum omnia mortis genera, quæ breviter perstringit, querentium, postremum *πᾶσα γάρ,* inquit, *πρόφασις ἱκανὴ πρὸς τὸ τὰς λύπας ... συνεγείρειν.* Iam etiamsi non subditicia sint sequentia verba *ταῦτα δ' ἐκίνησαν-ἐπὶ κτεάτεσσι,* ut mihi persuasum est[1]), quoniam prorsus speciem glossematis a lectore in margine adscripti præ se ferunt et versus laudati cum sententia, quam profitetur scriptor, parum conveniunt, si quidem eo iudice pater ille Homericus certe iniuria mortem filii deflet[2]); sed etiamsi, ut dixi, hæc genuina sint, quomodo tandem iis apte adiungi possunt ea, quæ sequuntur: *τίς γὰρ οἶδεν κτλ.*? Ego non intellego nec credo quemquam alium. Hic sententiæ hiatus aptissime expletur transponendo huc circuitu illo verborum *πρὸς*

---

[1]) Comp. Hercheri annot. ad p. 118 a in Hermæ vol. XI p. 230.

[2]) Peropportune video mecum facere sagacissimum criticum Meziriacum, qui Wyttenbachio teste ad h. l. annotavit *ἀπὸ τούτου τοῦ τόπου* (scilicet ‚*ταῦτα δ' ἐκίνησαν*') *μέχρι τοῦ τέλους* (scil. capitis XXX) *οὐ δοκεῖ μοι ὄζειν Πλουτάρχου.*

πάντας-τοῖς δ' ἀκμάζουσι, ut ordo singulorum orationis membrorum hic sit: *πᾶσα γὰρ-συνεγείρειν* [*ταῦτα δ' ἐκίνησαν-κτεάτεσσι*]. *πρὸς πάντας δὴ-ἐκφυγεῖν, καὶ ὅτι πολλοὶ-κακουχίαις, καὶ ὅτι οἱ πλεῖστοι-ἀκμάζουσι, τίς γὰρ οἶδεν-ἐπακολούθησιν, πεπαιδευμένων-αἰῶνα, βραχυτάτου δὲ τοῦ κτλ'.* Apparet, quam apte sic omnia sententia cohæreant, ut vix dubium sit, quin hic ordo re vera genuinus sit et ab ipso scriptore profectus.

p. 117 f (cap. XXXI).

δεῖ ... ἀλλὰ μεταβάλλειν ἐπὶ τὸ κρεῖσσον καὶ ἀνθρωπικώτερον πειρωμένους καὶ σπουδάζοντας ἐντυγχάνειν ἀνδράσι κτλ.

Sauppius[1]) delet verba *πειρωμένους καί*; credo quod aliter in enuntiato *ἀλλὰ-ἀνδράσι* desideraretur infinitivus, qui ad antecedens *δεῖ* referri posset. Certe iniuria; nam quidni sic interpungamus: *ἀλλά, μεταβάλλειν . . . πειρωμένους καὶ σπουδάζοντας, ἐντυγχάνειν ἀνδράσι κτλ.*? Ita infinitivum *μεταβάλλειν* duo participia *πειρωμένους καὶ σπουδάζοντας* communiter regunt, *ἐντυγχάνειν* ex verbo *δεῖ* pendet; *σπουδάζειν* infinitivum regere posse docent alii loci velut Moral. p. 118 b; p. 210 e; p. 222 d. Prave Bernardakis[2]) difficultatem ita tollere conatus est, ut, commate post *ἀνθρωπικώτερον* posito, *μεταβάλλειν* ex verbo *δεῖ*, *ἐντυγχάνειν* ex participiis pendere statuat, neque enim tam difficile erat viris prudentibus uti, ut Plutarchus apte dicere posset *πειρωμένους καὶ σπουδάζοντας ἐντυγχάνειν ἀνδράσι . . . ἀφαιρουμένοις τὰς λύπας διὰ . . . παρηγορίας.*

p. 119 e (cap. XXXIV).

ἀλλ' ἴσως ὑποτυχὼν ἂν φαίης Ἀπολλώνιε φίλτατε σφόδρ' ἦν ἐπιτετευμένος ὁ νεανίσκος Ἀπολλώνιος ἐν μοίραις κτλ.

[1]) In indice schol. Gott. 1883; cf. Bursiani Jahresberichte XXX p. 281.
[2]) Cf. editio eius.

Sic libri plerique et optimi; quod in codice D exstat *Ἀπόλλωνι καὶ μοίραις* manum interpolatoris alicuius arguit, licenter textum ad captum suum corrigentis; medium quodam modo tenet cod. B, in quo est *Ἀπολλώνιος καὶ μοίραις*; pro *ἐπιτετευμένος*, quod in omnibus melioribus codd. est, deteriores partim *ἐπιτετευγμένος* partim *ἐπιτεταμένως* substituunt[1]), quæ omnia sine dubio coniecturis infelicibus debentur, neque tamen magis improbabilia sunt quam ea, quæ in eodem vocabulo commenti sunt Reiskius et Wyttenbachius, quorum alter *ἐπεσπευσμένος* vel *ἐπιτεταχυσμένος* . . . *Ἀπολλώνιος ἐν μοίραις* scribendum esse censet (id quod ipse mire ‚nimis cito a Parcis oppressus et ante tempus avocatus' explicat, ego omnino interpretari nequeo), alter in annot. critica non sine magna dubitatione *ἀποτετευγμένος* . . . *Ἀπολλώνιος ἐν μοίραις* commendat. Dubitationem eius iustam esse docet sententia; nam ita fictum Apollonii responsum, quod teste ipso auctore coniecturæ vertendum est ‚Apollonius iniquas habuit Parcas', prorsus sensu cassum est; exspectamus enim rationem aliquam Apollonii, cur, quanquam verum esse solatium scriptoris (*ὃν οἱ θεοὶ κτλ.*) concedit, nihilo minus obitum immaturum filii deploret. Sed si Wyttenbachium sequimur, Apollonius ab ipso scriptore sic loquens inducitur, ut eius verba argumentum versus laudati impugnent, cum is, quem florentem ætate di propter amorem ad se recipiunt, non ob mortem immaturam Parcas iniquas habuisse dici possit. Quæ in animadv. proposuit idem vir doctus: *ἐπειγόμενος* . . . *ἐν μοίραις* aut *ἐπειγόμενος* . . . *Ἀπολλώνιος μοίραις*, vel quod nimis longe a librorum discedunt vestigiis, omni probabilitate mihi carere videntur. Ne Madvigium[2])

---

[1]) Unde scripturam *ἐπιτεταγμένος* sumpserit Bernardakis, nescio.
[2]) Conf. Advers. crit. I p. 622.

quidem, qui fretus auctoritate codicis D ἐπιτετευγμένος ... Ἀπόλλωνι καὶ Μούσαις scribendum esse censuit, verum invenisse existimo; codici illi interpolato plus æquo tribuit et locutio ἐπιτετευγμένος τινί vix ita poni potest, ut significetur ‚aptus ad aliquid'. Genuinam, ut opinor, scripturam v. d. Gertzius sagaciter eruit, quam, qua est benevolentia, mecum communicavit; suspicatur enim scribendum esse »ὅτι« σφόδρ' ἦν ἔτι γεγευμένος (vel potius ὑπογεγευμένος) ὁ νεανίσκος Ἀπολλώνιος εὐμοιρίας. Mihi quidem ἔτι γεγευμένος unice verum esse videtur, sed ὅτι οὐ, non ὅτι ante σφόδρα excidisse credo. Sententia verborum perspicua est.

p. 120 e (cap. XXXVI).

Τὰ δὲ πρὸς τὸ παρὸν καίρια καὶ χρήσιμα τὰ λεχθέντα τὸν Ἀθηναῖον, ἑταῖρον δὲ καὶ μαθητὴν Γοργίου τοῦ ῥήτορος.

Sic A et E; eadem exstant in cod. C, nisi quod ante λεχθέντα omittitur articulus; B (si recte verba Wyttenbachii intellexi) vulgatam scripturam τὸ παρὸν δὲ καίρια καὶ χρήσιμα τὰ λεχθέντα τὸν Ἀθηναῖον præbet; in cod. D extrema pars huius libelli inde a verbis ὄνομ' ἔχει (p. 120 a) intercidit[1]); præpositio πρός, quam post participium λεχθέντα interposuit Henricus Stephanus, teste Wyttenbachio variis lectionibus Jannotii et Turnebi valde incertæ auctoritatis debentur; in cod. B hoc loco spatium vacuum relinquitur, nec mihi dubium est, quin iam Xylander recte lacunam expleverit; coniecit enim scribendum esse λεχθέντα πρὸς Καλλικλέα τὸν Ἀθηναῖον. Sed ad initium lemmatis redeamus: omitto vulgatam scripturam (v. supra) ut a librario licenter interpolatam nec ulla fide dignam; revocandus locus, ut iam fecerunt

---

[1]) Vid. annotatio critica Wyttenbachii ad p. 120 a.

recentiores editores præter Bernardakim[1]), ad optimorum codicum scripturam ne ipsam quidem vitio carentem, verum tamen ita ut lenissima emendatione in integrum restitui possit. Scribendum enim *τάδε δὲ πρὸς τὸ παρὸν καίρια καὶ χρήσιμα, λεχθέντα πρὸς Καλλικλέα κτλ.*

Ὑγιεινὰ παραγγέλματα.

---

p. 122 c (cap. I).

'*Χωρὶς' γὰρ ἔφη 'τὰ φιλοσόφων καὶ ἰατρῶν ὥσπερ τινῶν Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα κτλ.*'.

Apte notissimum proverbium hic a Plutarcho laudatur, sed nescio quomodo nemo adhuc vidit genetivum *τινῶν* ferri non posse, nam cum *decreta* philosophorum et medicorum cum finibus Mysorum et Phrygum comparentur, accusativum *τινά* sententia flagitat; librarius aliquis errore terminationem pronominis indefiniti ad nomina, quæ sequuntur, accommodavit. Accusativus autem pronominis recte se habet, nam ubi comparantur res inter se valde diversæ vel similitudines improvisæ inducuntur, sæpe quasi ad significandum, similitudinem non prorsus aptam et propriam esse, particulæ comparationis adiungitur pronomen indefinitum velut Plut. Moral. p. 66 e *ὥσπερ οὖν κῆράς τινας*; p. 123 a *ὥσπερ τινὰ συνήθειαν-πυρετοῦ*; p. 137 e *ἀλλ' οἷόν τινα ξυνωρίδος ἰσορροπίαν διαφυλάττειν.* Danice 'paa en Maade ligesom, i visse Maader ligesom'.

---

[1]) Is infeliciter coniecit *ἔσται δέ* pro *τὰ δέ*, æque infeliciter Volkmannus (Leben und Schriften des Plutarchs I p. 138) *νῦν δὲ τά.*

p. 122 d (cap. I).

Φιλόσοφος γὰρ εἶ . . . σώματι . καίτοι πλείους ἂν ἴδοις ἐκεῖ θεατάς, ὅπου θεωρικόν τι νέμεται τοῖς συνιοῦσιν, ὥσπερ Ἀθήνησι κτλ.

Postquam commemoravit Zeuxippus, verum philosophum Moschione iudice maiorem medicinæ operam dare debere quam geometriæ, sic pergit: ‚*quamquam* videas plures spectatores iis locis, ubi munera hominibus convenientibus distribuuntur velut Athenis'. Iam comparativus aliquanto durius hic positus est; sed multo magis offendit illud *καίτοι*; neque omnino, quantum video, ambitus ille verborum *καίτοι-Ἀθήνησι* antecedentem sententiam continuat. Proinde lacunam ante *καίτοι* signandam esse credo, et ni fallor, non pauca interciderunt.

p. 123 c (cap. III).

εὖ γὰρ εἰρημένον τὸ · ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον . . . καὶ οἰκεῖα παρασκευάζειν κτλ.

En locus pessime habitus, nec codices, qui omnes in iisdem vitiis consentiunt, ullum ferunt auxilium. — Qui singula diligentius persequitur, primum in verbis *ὡς ἕκαστα* offenditur, quæ locutio, quamquam eam Græcam esse constat, neque sic poni potest, verbum enim nullum ad *ἕκαστα* audiri potest[1]), et prorsus a nostri scriptoris consuetudine abhorret; deinde, etiamsi *ὡς ἕκαστα* recte se haberet, phrases *κατὰ μέρος* et *ὡς ἕκαστα,* quippe quæ idem fere (i. e. singula deinceps) significent, hic non apte componerentur; porro exspectes *ἕκαστον* (scl. *βίον*), non *ἕκαστα,* quod sic infinite positum sensu caret. Huc accedit, quod sententia apta, quantum video,

---

[1]) Vid. Krügeri annot. ad Thucyd. I, 3, 4.

omnino non elici potest, nam sive utile est *το βίον ἑλεῖν τὸν ἄριστον* (statuo enim hunc infinitivum subiectum ad *χρήσιμόν ἐστι* audiri), certe non ei solum utile est, qui singularum rerum (!) periculum facit, sive ambitus hic verborum ex Madv. Synt. Gr. § 177 b ann. 5 explicatur, repugnat subita structuræ mutatio (*πειρωμένῳ-παρασκευάζειν*) et sensus, quoniam non omnium rerum periculum facere, sed omnibus rebus, si fieri potest, corpus assuefacere, conducit. His rationibus commotus facere non possum quin credam, præcipuam causam vitii lacunam dedisse, quæ post *πειρωμένῳ* signanda et in hanc fere sententiam explenda esse videtur: . . . *καὶ κατὰ μέρος, ὡς ἕκαστα πειρωμένῳ πρόσφορα φαίνεται, πᾶσι μὲν σιτίοις τὰ σώματα συνήθη ποιεῖν χρήσιμόν ἐστι.* Totum denique circuitum sic Latine interpretor: Præclare enim dictum est illud ‚optima vivendi ratio eligenda est, iucundam eam consuetudo reddet', et per vices omni cibo, ut quisque, cum eius periculum facias, saluber videtur, corpora assuefacere utile est; imprimis vero cet.

p. 127 f (cap. XI).

πρὸς μὲν οὖν ταύτην τὴν ἐλπίδα τὴν τοῦ Κάτωνος εὐλάβειαν ἀντιτακτέον, ἥν φησιν ἐκεῖνος ὁ ἀνὴρ τὰ μὲν μεγάλα μικρὰ ποιεῖν, τὰ δὲ μικρὰ παντελῶς ἀναιρεῖν.

Vix Cato providentiam omnia magna imminuere, parva tollere dixit; eius modi ineptiæ viro illi prudenti et perito non tribuendæ. Apparet, excidisse inter *μεγάλα* et *μικρά* vocabulum velut *κακά* vel potius *νοσήματα.* Sic demum commodam sententiam habet illud Catonis.

p. 129 b—c (cap. XIV).

ἄλογοι γὰρ ἴσχουσιν ἀθυμίαι καὶ φόβοι πολλάκις ὑπ' οὐδενὸς φανεροῦ τὰς ἐλπίδας ἄφνω κατασβεννύουσαι.

Quomodo apte terminatio participii *καταςβεννύουσαι*, quod appositione duobus nominibus diversi generis (*ἀθυμίαι καὶ φόβοι*) adiunctum est, ad genus eius substantivi, quod longius ab eo remotum est, accommodari possit, videant editores; ego pro *καταςβεννύουCAI* scribendum esse puto *καταςβεννύουCIN*; ita totus hic verborum ambitus in duo enuntiata dividitur: *ἄλογοι . . . ἀθυμίαι* et *καὶ φόβοι . . . καταςβεννύουσιν*.

p. 129 f (cap. XIV).

. . . *καὶ μηδὲν ὑπολιπεῖν περιττώματος πλῆθος ἐν τῷ σώματι . καὶ γὰρ αὐτὰ ταῦτα δι' αὐτὰ πολλῶν αἴτια νόσων ἐστί κτλ.*

Valde suspicionem movent numeri pronominum (*αὐτὰ ταῦτα-αὐτά*). Exspectes certe, cum ad solum *περίττωμα* referenda sint pronomina, *αὐτὸ τοῦτο-αὐτό*. Confirmat dubitationem, quod paulo infra (p. 130 a) seorsum nominantur *περίττωμα* et *πλῆθος*, nec sine causa; nam *περίττωμα* est excrementum rei alicuius (cf. Moral. p. 905 a), deinde omnino materia supervacanea et perniciosa (cf. ibd p. 353 e) et corporis eius modi materiæ abundantia (cf. noster locus et alius huius libelli p. 127 c); *πλῆθος* autem et aliis locis et interdum apud scriptores medicinæ significat nimiam humorum corporis copiam, quam Græci vulgo *πληθώραν* vocant, cf. Galeni *περὶ πλήθους βίβλιον* (Opera ed. Kühn T. VII p. 513—83); eiusdem meth. medendi lib. XIII cap. VI (T. X p. 891) . . . *εἴρηται δὲ κἀν τῷ περὶ πλήθους γράμματι, καὶ νῦν δ'εἰρήσεται τὰ κεφάλαια τῶν λόγων . ὅταν μὲν γὰρ ὁμοτίμως ἀλλήλοις αὐξηθῶσιν οἱ χυμοί, πλῆθος τοῦτο καὶ πληθώραν ὀνομάζουσιν*; præterea nostri libelli p. 127 b *ταῖς ἔξωθεν αἰτίαις . . . οὐσίαν παρέχει τὸ πλῆθος ὑποκείμενον*; p. 127 d; p. 129 d *πλῆθος, ἡλίωσιν, κόπον, ἀγρυπνίαν*; p. 131 e *τῇ ποιότητι τῆς τροφῆς*

ἐλαφρότερον ποιεῖν τὸ πλῆθος; Herodiani Hist. II, 2, 6 (ed. Mendelsohn) *Κόμμοδος . . . ὑπὸ πλῆθους ἐπιπνιγεὶς διεφθάρῃ*; postremum componuntur ut nostro loco *πλῆθος* et *περίττωμα* huius lib. p. 127 c *ἐν δὲ πλήθει καὶ περιττώματι*. Proinde non dubito, quin hoc loco non in numeris pronominum lateat vitium orationis et scribendum sit *μηδὲν ὑπολιπεῖν περιττώματος καὶ πλήθους . καὶ γὰρ αὐτὰ ταῦτα κτλ.* Fortasse Bernardakis [1]) recte *ὑπολείπειν* pro *ὑπολιπεῖν* scripsit.

p. 130 a (cap. XVI).

πρῶτον δὲ περὶ γυμνασίων φιλολόγοις ἁρμοττόντων λέγωμεν ὅτι, ὥσπερ ὁ φήσας μηδὲν γράφειν παραθαλασσίοις περὶ ὀδόντων ἐδίδαξε τὴν χρείαν, οὕτω καὶ κτλ.

Vitium manifestum ex parte sensit iam Wyttenbachius, qui in annot. crit. parum probabiliter vel *διδάξαι γὰρ τὴν χρείαν* vel *οὓς διδάξαι τὴν χρείαν* scribendum esse censuit; verum quod ibidem dicit ‚sententiam apparere, non verborum nexum', errat; nec sententia nec nexus apparet et recte Madvigius [2]) dentium mentionem hinc alienissimam esse iudicat. Temerariam et absurdam Hercheri coniecturam *περὶ λουτρῶν (διδάξειν γὰρ τὴν χρείαν) οὕτω κτλ.* tacite prætermittere satius est. Video ex brevissima commemoratione in Bursiani Jahresberichten T. III p. 588 Theodoro Doehnero [3]) viro etiam præterea de Plutarcho optime merito *ex parte* eandem, quæ mihi, in mentem venisse emendationem. Scribit enim mendum lenissima et certissima correctione tollens pro

---

[1]) Vid. editio eius.

[2]) Advers. crit. I p. 624.

[3]) Liber eius, quem comparari non potuisse valde doleo, inscribitur: ‚Viro clarissimo Ewaldo Baiero congratulantur gymn. et schol. Plaviensis rector et collegæ. Plaviæ'. Hunc locum tractat pag. 43.

περὶ ὀδόντων, quod vel ob hiatum displicet, *περὶ τριοδόντων.* *Τριόδους* significat hic instrumentum quoddam tridenti simile, cuius ictu pisces, præcipue anguillæ, feriuntur (cf. Plat. Sophist. p. 220 c; Arist. hist. anim. IV, 10, 4; IX, 1, 4; Poll. Onom. X, 133), quodque Latine fuscina, nostra lingua ‚Aalelyster' vocatur. Hoc ii qui ad oram maritimam habitant optime norunt, itaque scriptoris institutione non egent. Hactenus Doehnero assentior, *suspicor* enim eius modi argumentis eum sententiam suam confirmasse, sed in sequentibus pravam Wyttenbachii coniecturam *(διδάξαι γὰρ τὴν χρείαν)* probare non debuit. Scripsit enim sine dubio Plutarchus sic: *περὶ τριοδόντων, ὧν ἐδίδαξε τὴν χρείαν,* i. e. ‚de fuscinis quarum usum docuit'. Nocuit etiam hoc loco litterarum similitudo.

p. 130 b (cap. XVI).

ὅτι μὲν γὰρ ἰσχύειν δίδωσι τὸ πνεῦμα δηλοῦσιν οἱ ἀλεῖπται, τοὺς ἀθλητὰς κελεύοντες ἀντερείδειν ταῖς τρίψεσι καὶ παρεγκόπτειν τηροῦντας ἀεὶ τὰ πλασσόμενα μέρη καὶ ψηλαφώμενα τοῦ σώματος.

Sic libri sine ulla discrepantia, nisi quod in margine codicis A adscriptum est *ἐγκάμπτειν.* Quamquam summi critici Meziriacus et Madvigius[1]) certissimis coniecturis iam duo menda huius loci sustulerunt, alter enim recte *ἰσχὺν* pro *ἰσχύειν* scribi iussit, alter ingeniose e corrupta scriptura *παρεγκόπτειν* genuinam *παρεγκάπτειν* enucleavit, tamen corruptela tam late manavit, ut etiam nobis hoc loco aliquid, quod correctione egeret, reliquerint. Neque alii non viderunt, participium *τηροῦντας* alienissimum esse ab orationis sententia,

---

[1]) Vid. Advers. crit. I p. 623.

sed æque improbabiliter Meziriacus *τείνοντας*, Hercherus *ἐντείνοντας* coniecerunt. Vix dubium est, quin sic scripserit Plutarchus: *ὅτι μὲν γὰρ ἰσχὺν δίδωσι τὸ πνεῦμα δηλοῦσιν οἱ ἀλεῖπται τοὺς ἀθλητὰς κελεύοντες ἀντερείδειν* (scil. *τὸ πνεῦμα*) *ταῖς τρίψεσι καὶ παρεγκάπτειν* (scil. *τὸ πνεῦμα*), *πληροῦντας* (scil. *τοῦ πνεύματος*) *ἀεὶ τὰ πλασσόμενα μέρη τοῦ σώματος.* — Audiendum ad utrumque infinitivum *τὸ πνεῦμα*, aliter non intellegitur, quo modo præcepta aliptarum probent, spiritum ipsum vires augere; *ἐγκάπτειν τὸ πνεῦμα* est animam retrahere; *παρεγκάπτειν*, quod certe rarissime occurrit, hoc loco significat ‚simul cum fricationo animam retrahere'; quod additur *πληροῦντας (τοῦ πνεύματος) . . . τὰ πλασσόμενα μέρη* optime convenit cum Plutarchi sententia ‚spiritum per totum corpus distribui vel arbitrio eius, qui animam ducat, distribui posse'; cf. paulo infra p. 130 d *καὶ τὸ πνεῦμα πράως διομαλύνοντα καὶ διαχέοντα μέχρι τῶν ἄκρων*; p. 134 a *διαφορῶν ἐλαφρῶς τὸ πνεῦμα.*

p. 130 e (cap. XVI).

ὅθεν οὔτε πλοῦν ποιητέον οὔτε καταγωγὴν ἐν πανδοκείῳ σιγῆς πρόφασιν, οὐδ' ἂν πάντες καταγελῶσιν. ὅπου γὰρ οὐκ αἰσχρὸν τὸ φαγεῖν οὐδὲ τὸ γυμνάζεσθαι δήπουθεν αἰσχρόν· ἀλλ' αἴσχιον τὸ δεδοικέναι καὶ δυσωπεῖσθαι ναύτας κτλ.

Cum neque cibum capere in deversorio neque corpus exercere turpe esse statuatur, non video, quomodo nautas vereri recte turpius vocari possit. Scilicet scribendum: . . . *ἀλλ' αἰσχρὸν τὸ δεδοικέναι κτλ.* Neque enim quæritur, quid turpius sit, sed quid turpe sit, quid non.

p. 130 e—f (cap. XVI).

καταγελῶντας οὐ τοῦ σφαιρίζοντος . . . ἀλλὰ τοῦ λέγοντος, ἂν ἅμα διδάσκῃ τι καὶ ζητῇ . . . γυμναζόμενος.

Certe ficti illi nautæ dicentem exagitant, non quo (fingimus enim vel contra probabilitatem particulam ἂν eadem fere significatione hic positam esse, quo vulgo coniunctio εἰ apud verba mirandi et gaudendi; cf. Madv. Synt. Gr. § 194 c) simul cum corporis exercitatione discat aliquid, sed simpliciter, quod contra consuetudinem hominis secum ipse, quasi solus sit, clara voce loquitur. Scribendum *ἀλλὰ τοῦ λέγοντος, ἵν' ἅμα κτλ.* i. e. ‚exagitant dicentem, qui tamen hoc eo consilio facit, ut simul cet.'.

p. 131 d (cap. XVIII).

'Επὶ δὲ τροφὴν παραγενομένους, ἂν μὲν ᾖ τι τῶν πρόσθεν ὄφελος λόγων οἷς τὰς ὀρέξεις ἐκηλοῦμεν καὶ κατεπραΰνομεν, ἄλλο τι χρὴ παραινεῖν τῶν ἐφεξῆς.

ἐκηλοῦμεν καὶ κατεπραΰνομεν scripsit Reiskius; in libris exstat *κηλοῦμεν καὶ καταπραΰνομεν.* — Valde miror aliud manifestum vitium horum verborum omnes editores et criticos præter eundem Reiskium fefellisse. In superioribus Plutarchus lectores hortatus est, ut cupiditates coercerent; num igitur consentaneum est, si illa præcepta vim et effectum habent, de victu alia nova desiderari *(ἄλλο τι χρὴ κτλ.)*? Immo non consentaneum est. Hoc, ut supra dixi, iam Reiskius intellexit, sed paulo longius a codicum vestigiis discedit, cum *οὐδὲν ἄλλο* [*τι*] *χρὴ κτλ.* scribendum esse censet. Satis est interponere ante *ἄλλο* negationem, ut scribatur *οὐκ ἄλλο τι χρὴ παραινεῖν τῶν ἐφεξῆς*, i. e. ‚non aliud præterea eorum, quæ sequuntur cet.'; aliter absurde Plutarchus elocutione *ἄλλο τι χρὴ παραινεῖν τῶν ἐφεξῆς* usus esset pro ea quæ est *τὰ ἐφεξῆς χρὴ παραινεῖν,* et inepta esset tota sequens oratio *ἂν δ' ὥσπερ . . . τὸ πλῆθος,* qua nova consilia

de victu dantur, si superiora illa præcepta de cupiditate coercenda nullum habeant effectum. Verum si traditam sequimur scripturam, sive vim habent præcepta illa sive non, consiliis novis opus est. Eius modi nugæ Plutarcho non tribuendæ sunt.

p. 131 d—e (cap. XVIII).

ἂν δ' ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λελυμένη χαλεπὸν ᾖ χρῆσθαι καὶ φιλονεικεῖν πρὸς γαστέρα ὦτα μὴ ἔχουσαν . . . διαμηχανητέον κτλ.

In plerisque libris est *λελυμένη*. Meziriacus et Reiskius, cum ad antecedens vocabulum *ὀρέξεις* participium *λελυμένη* referendum esse prave statuerent, *λελυμέναις* scribendum esse censuerunt. Certe iniuria, nam hoc loco, ubi de victu agitur, parum apte comparatur venter insatiabilis cum cupiditatibus e vinculis solutis, cum utrumque idem fere significet. Quod vero Wyttenbachius putat ‚*λελυμένη* intelligi posse subaudiendo *γαστρί* ex proximo', quasi omnino ea, quorum vincula solvuntur, difficilius quam reliqua coerceantur, vix quisquam ei assentietur. Desideratur manifesto nomen, ad quod casu accommodatum erat participium *λελυμένη*, et, si quis statuat sic scriptum fuisse: *ἂν δ' ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λελυμένη θηρὶ χαλεπὸν ᾖ χρῆσθαι κτλ.*, i. e. ‚si venter, tanquam bestia vinculis liberata, difficilius coercetur cet.', vix erret. — Si quis ob genus huius nominis dubitet, in memoriam revocet, vocabulum *θήρ* interdum, cum ad nomina feminini generis referatur, ipsum feminini generis esse; cf. Aeliani N. A. VI, 24; comp. etiam Plut. Moral. p. 143 d: *μάλιστα τὴν Ἀφροδίτην παρακαλοῦντας, ἰατρὸν οὖσαν τῶν τοιούτων ἀρίστην.*

p. 131 f (cap. XVIII).

καὶ γὰρ εὐθὺς σφόδρα καὶ βαρύνουσι, καὶ λείψανον εἰσαῦθις πονηρὸν ἀπ' αὐτῶν παραμένει.

Locus non sine causa suspicionem movit Reiskio, cui in *εὐθύς* verbum *ἐνοχλοῦσι* latere visum est. Verum *εὐθύς* sanum est et satis defenditur sequenti *εἰσαῦθις*. Offendit sine dubio virum sagacissimum, quod adverbium *σφόδρα*, si tradita scriptura genuina esset, etiam ad alterum enuntiatum *καὶ λείψανον . . . παραμένει* trahendum esset. Hæc difficultas tollitur scribendo *καὶ γὰρ εὐθὺς σφόδρα βαρύνουσι, καὶ λείψανον εἰσαῦθις πονηρὸν ἀπ' αὐτῶν παραμένει.*

p. 134 d—e (cap. XXII).

τοὺς μὲν ἐμέτους . . . ὅσον ἀπεψίαν ἐκφυγεῖν αὐτόθεν ἀφιέντας ἀπραγμόνως τῷ πλεονάζοντι τὴν ἀπέρασιν.

Cum *ἀπέρασις* significet actionem excernendi (cf. Wyttenbachii animadv. ad h. l.), participium *ἀφιέντας* hinc alienissimum est; nam quid sit ‚actionem excernendi dimittere', vix quisquam explicabit. Restituendum id, quod necessario flagitat sententia, *ἐφιέντας*. Apte Xylander Latine locum sic vertit: ‚. . . iis, quæ redundant, sponte sua per gulam foras redeundi permittenda cruditatis vitandæ causa facultas'.

p. 134 f—135 a (cap. XXIII).

Bona pars huius capitis imprimis minoribus lacunis misere lacerata est, sed etiam aliis vitiis contaminatur, ut valde dubitem, an sine novorum bonorum codicum auxilio omnibus locis genuina scriptura enucleari non possit. Videntur enim librarii, ubi archetypum lectu difficilius aut mutilum erat, interdum ad coniecturas confugisse, quibus

plerumque vestigia veri multo magis deleta sint. Itaque codicum condicione coactus, ubi sententia manifesto flagitabat, audacius hic in coniciendo versatus sum. Hæc breviter præfanda esse credidi, iam singula persequar.

κριτικὰς-ἀσιτίας. Non sine causa his verbis vitium aliquod subesse Reiskius suspicatur, cuius verba sunt: ‚Quare ieiunia stata et in certos dies indicta *κριτικὰς ἀσιτίας* appellaverit auctor, non dixerim, nisi forte similitudine a diebus morborum criticis ducta; sed ibi quidem recte se habet hæc dictio; tunc enim morbus *κρίνεται,* vergit ad finem et quamcunque tandem in partem: at in stato ieiunio criticum vel decretorium nihil est'. Coniectura Wyttenbachii, quam in annotatione critica commendat, *ἐκ περιόδου κριτικῆς* sensum habet non magis aptum quam perversa librorum scriptura nec longiore refutatione digna est, nisi forte quis explicare possit, quid sit ‚decretoria ieiunii periodus'. Scripsit fortasse Plutarchus; *τεταγμένας τινὰς ἐκ περιόδου καθαρτικὰς ἐμβάλλοντες ἀσιτίας*: superiore capite alvum vomitu et medicamentis *expurgari* vetuit, hoc etiam ieiuniis.

Ibidem: . . . *οὐκ ὀρθῶς τὴν φύσιν μὴ δεομένην διδάσκουσι δεῖσθαι συστολῆς καὶ ποιεῖν ἀναγκαίαν τὴν οὐκ ἀναγκαίαν ὑφαίρεσιν ἐκ καιρῷ ζητούμενον ἔθος ἀπαιτοῦντι.* — Multa quidem homines naturæ corporis necessaria usu et consuetudine reddere possunt; sed docere naturam aliquid sibi (i. e. naturæ) necessarium reddere nihil est; neque enim natura corporis illud, quicquid est, ipsa sibi necessarium facere potest, si quidem non ipsa se regit. Vix dubium, quin scribendum sit *καὶ ποιοῦσιν ἀναγκαίαν τὴν οὐκ ἀναγκαίαν ὑφαίρεσιν.* Vitium fortasse inde ortum est, quod duæ litteræ incuria omissæ sunt *(ΠΟΙCΙΝ, ΠΟΙΟYCΙΝ).* Leve hic erratum et facile ad corrigendum, graviorem vero corruptelam extrema illa *ἐν-ἀπαιτοῦντι* arguunt. Quid est *ζητούμενον*

ἔϑος? Nihil, ut opinor; nam Wyttenbachii explicatio ‚quæsita consuetudo i. e. adsciticia, ἐπείσακτος, non naturalis', etiamsi non ab usu sermonis Græci abhorreret, hæc significatio participii ζητούμενος rectæ rationi repugnaret, cum vix ullus casus *consuetudinem,* quæ contra naturam sit, requirat; accedit quod vel sic hæc verba ἐν καιρῷ-ἀπαιτοῦντι absurde superioribus adiunguntur, ut ex ipsius Wyttenbachii interpretatione Latina apparet[1]). — Ex ea correctione, quam Pflugkius adhibendam esse censet[2]): ὑφαίρεσιν ἐν καιρῷ ζητουμένην ἔϑος ἀπαιτοῦντι, equidem sanam sententiam enucleare nequeo. Operæ pretium est, antequam meam opinionem de hoc vitio manifesto corrigendo expono, sequentia diligentius considerare. Librorum scriptura hæc est: βέλτιον γὰρ ἐλευϑέροις τοῖς τοιούτοις χρῆσϑαι κολασμοῖς εἰς τὸ σῶμα, μηδεμιᾶς δὲ προαισϑήσεως οὔσης μηδ' ὑποψίας, καὶ τὴν ἄλλην δίαιταν . . . ταῖς μεταβολαῖς ὑπήκοον ἔχειν. Horum verborum menda mihi tam manifesta esse videntur, ut vix indoctum fugere possint. Primum structuræ; nam sive vera est tradita scriptura, desideratur infinitivus post μηδεμιᾶς δὲ ... ὑποψίας, qui antecedens enuntiatum ἐλευϑέροις . . . ὑποψίας absolvere possit, cum ambitus ille verborum: καὶ τὴν . . . ἔχειν nullo modo hanc vicem explere possit; sive particula δέ post μηδεμιᾶς non recte se habet et vel cum Wyttenbachio in γε mutanda vel cum Herchero delenda est, ut genetivus absolutus μηδεμιᾶς . . . ὑποψίας ad superiora referatur, difficile est credere, Plutarchum dixisse, eius modi corporis castigationibus uti oportere, ubi nulla mali præsensio suspiciove esset. Hæc sine dubio ipsa illa perversa ratio esset, quam supra diserte hic verbis vituperavit: οὐκ

---

[1]) Cf. annot. eius critica.

[2]) Vid. Zeitschrift f. d. Alterthumswissensch. 1848 p. 890.

ὀρθῶς τὴν φύσιν μὴ δεομένην διδάσκουσι δεῖσθαι συστολῆς. Deinde phrasis hæc: *ἐλευθέροις τοῖς τοιούτοις χρῆσθαι κολασμοῖς* sensu cassa est; *ἐλευθέρῳ τινὶ χρῆσθαι* valet ‚aliquo ut libero uti’, et ne hoc quidem facile nisi addito *ὡς* ante *ἐλευθέρῳ,* non, quod hoc loco sententia flagitat, ‚ex arbitrio aliquo (aliqua re) uti’; id enim Græci, ni fallor, appellabant *κατὰ τὸ δοκοῦν τινι χρῆσθαι.* Verum dixerint Græci *ἐλευθέρῳ τινὶ χρῆσθαι,* ut significaretur ‚ex arbitrio aliquo (aliqua re) uti’. Nonne vel sic *ἐλευθέροις* sensu careret, cum ex membro apposito ‚*μηδεμιᾶς δὲ . . .*’ appareat, eius modi purgationes Plutarcho iudice non ex arbitrio, id quod stulti et inconsiderati esset, esse usurpandas. Credo omnes has difficultates tolli locumque in integrum restitui posse, si post *ὑφαίρεσιν* puncto interpungitur, deinde oratio sic fere continuatur: *Βέλτιον γὰρ [ἐλευθέρους] ἐν καιρῷ τὸ ζητόυμενον ἔθος ἀπαιτοῦντι τοῖς τοιούτοις χρῆσθαι κολασμοῖς εἰς τὸ σῶμα, μηδεμιᾶς δὲ προαισθήσεως οὔσης μηδ’ ὑποψίας, ἐᾶν, καὶ τὴν κτλ.*; neque enim mihi dubium videtur, quin adiectivum *ἐλευθέρους*[1]) interpositum sit ab librario, postquam verba illa *ἐν καιρῷ . . . ἀπαιτοῦντι* loco mota sunt. Cum dixisset Plutarchus, nullam consuetudinis necessitatem temere in hac re admittendam esse, inde collegit interpolator, sermonis Græci non admodum peritus, manifestam lacunam vocabulum aliquod libertatem significans requirere. Latine sententia sic vertenda est: ‚Præstat enim [necessitate non coactos], rebus ipsis consuetudinem, de qua quæritur, requirentibus, talibus uti corporis castigationibus, verum, ubi nulla præsensio vel suspicio mali est, eas omittere cet.’. Fieri potest

---

[1]) Ex *ἐλευθέρους* postea ortum est id, quod in codicibus exstat (*ἐλευθέροις*), terminatione adiectivi ad casum sequentis nominis accommodata.

ut particula *μέν*, quamquam facile desideratur, exciderit post *ἕν*; locutio *τὸ ζητούμενον ἔθος* Platonis dicendi genus imitatur; cf. Plat. Soph. 235 d *τὴν ζητουμένην ἰδέαν*; comp. præterea R. publ. IV p. 428 a; Men. 79 d; Epinom. 974 a; Theæt. 201 a; Politic. 267 c.

p. 136 b (cap. XXV).

. . . εἰς ἀγορὰν ἢ αὐλὴν ἤ τινα πραγματείαν διαπύρου καὶ συντόνου δεομένην σπουδῆς ἐλαυνόμενον.

Quasi Plutarcho iudice neque forum neque aula ea negotia sint, quæ studium attentum requirant. Credo scribendum esse *εἰς ἀγορὰν ἢ αὐλὴν ἢ ἄλλην τινὰ πραγματείαν κτλ.* Nocuit similitudo litterarum vocabuli antecedentis (*αὐλήν*).

p. 137 d (cap. XXVII).

εἶθ' ὡς ὁ βοῦς πρὸς τὴν ὁμόδουλον ἔλεγε κάμηλον . . . οὕτω συμβαίνει τῇ ψυχῇ καὶ μικρὰ χαλάσαι καὶ παρεῖναι μὴ βουλομένῃ πονοῦντι καὶ δεομένῳ, μετ' ὀλίγον πυρετοῦ τινος ἢ σκοτώματος· ἐμπεσόντος ἀφεῖσα τὰ βιβλία . . . ἀναγκάζεται συννοσεῖν κτλ.

Structura horum verborum manifesto turbata est; *ὡς* post *εἶτα* addidit Wyttenbachius 'ex Vossiani margine', fonte auctoritatis valde incertæ, sed cum desideretur ægre aliquid eius modi, non dubitaverim lacunam reliquorum codicum ita explere. Coniunctionem *καὶ* ante *μικρά*, quæ in uno vel pluribus codicibus deesse videtur (neque enim de numero ex annotationibus editorum quidquam colligi potest), iam Meziriacus delendam esse censuit, fortasse iniuria, nam donec de optimorum librorum scriptura constiterit, cum neque appareat quo errore orta sit, et libellus hic omnino

interpolationibus vacet, lacunis scateat, probabilius statuemus intercidisse ante *καὶ* adiectivum velut *φαῦλα*; plenior oratio optime cum ambagibus Plutarchi convenit (*χαλάσαι-παρεῖναι*; *πονοῦντι-δεομένῳ*; *συννοσεῖν-συγκάμνειν*). Altera lacuna post *δεομένῳ* signanda est; nam fieri non potest, ut sic infinite posuerit scriptor participia, *πονοῦντι* et *δεομένῳ*; certam notionem, immo unam flagitat verborum sententia, ut haud dubitanter post *δεομένῳ* interponam *τῷ σώματι*.[1]) Proinde cum locus hic pluribus manifestis lacunis laceratus sit sed, ni fallor, mendis alius generis vacet, ipsa manifesta vitia quodam modo mihi indicare videntur, quibus remediis etiam manca et prava verborum structura sananda sit, nimirum lacunis recte explendis, non verbis traditis delendis aut mutandis velut scribendo *ἀφεῖσαν-ἀναγκάζεσθαι*. Quare librorum scripturam in hanc fere sententiam suppleverim: *οὕτω συμβαίνει τῇ ψυχῇ φαῦλα καὶ μικρὰ χαλάσαι μὴ βουλομένῃ πονοῦντι καὶ δεομένῳ τῷ σώματι μεταμελῆσαι. μετ᾽ ὀλίγον γὰρ πυρετοῦ τινος κτλ.* Aliam rationem me iudice parum probabilem secutus est Hercherus, qui deleto verbo *συμβαίνει* sic scripsit: *οὕτως ἡ ψυχὴ μικρὰ-βουλομένη κτλ.* Nec magis scripturam editionis Bernardakis (*οὕτω συμβαίνει τῇ ψυχῇ μικρὰ χαλάσαι κτλ.*) probare possum et propter rationes, quas exposui (certe enim, ut cetera omittam, verba *τῷ σώματι* abesse non possunt) et quod vix recte Græce dicitur *οὕτω μοι συμβαίνει* ut significetur ‚ita mecum agitur'.

---

[1]) Gertzius magis veri simile esse credit, verba *τῷ σώματι* post *πονοῦντι* quam post *δεομένῳ* excidisse, neque ego nego; idem post *μετ᾽ ὀλίγον* particulam *γὰρ* non desiderat, quæ tamen facillime ante *πυρετοῦ* excidere potuit.

Γαμικὰ παραγγέλματα.

---

p. 138 b (prooemium).

ἐν μὲν γὰρ τοῖς μουσικοῖς ἕνα τῶν αὐλητικῶν νόμων ἱππόθορον ἐκάλουν, μέλος τι τοῖς ἵπποις ὁρμῆς ἐπεγερτικόν, ὡς ἔοικεν, ἐνδιδόντα περὶ τὰς ὀχείας.

Sic prave codices; Reiskius *πρὸς τὰς ὀχείας* scribendum esse censuit, quod parum probabile est, præsertim cum lenior correctio sufficiat; interponendus enim inter *ἐνδιδόντα* et *περί* articulus *τά*, qui ob similem terminationem antecedentis participii facile omitti potuit. Scribendum igitur *ἐνδιδόντα τὰ περὶ τὰς ὀχείας*. Totum enuntiatum sic Latine interpretor: ‚nam in musica unum ex iis modis, qui tibia canuntur, hippothorum appellabant, quod stimulans quiddam equis ad coitum sonare *(ἐνδιδόναι)* videretur (scil. modus)' Comp. de significatione verbi *ἐνδιδόναι* Athen. XII, 520 d *ἐνέδοσαν τοῖς ἵπποις τὸ ὀρχηστικὸν μέλος*; Plut. Tib. Gracch. cap. II s fin. *ὃς ἔχων φωναστικὸν ὄργανον-ἐνεδίδου τόνον μαλακόν*. Locutio *ἐπεγερτικὸν τὰ περὶ τὰς ὀχείας* bene cum dicendi genere Plutarchi convenit; cf. Moral. p. 963 a; Pericl. cap. VII m. *(τὰ περὶ τὴν δίαιταν)*.

p. 140 f (cap. XX).

αὕτη τοίνυν καὶ χρημάτων κοινωνία προσήκει μάλιστα τοῖς γαμοῦσιν εἰς μίαν οὐσίαν πάντα καταχεαμένοις καὶ ἀναμίξασι, μὴ τὸ μέρος ἴδιον κτλ.

Aptius *τοιαύτη τοίνυν κοινωνία* scripsisset Plutarchus[1]), cum non de eadem re sed de alia et ipsa coniugum communi

---

[1]) Ita Stegmannus teste Bernardaki scribendum esse censet. Reiskius *ταύτῃ* aut *οὕτω* eodem sensu coniecerat.

loquatur. Tollitur hæc difficultas facillima vel potius nulla prope correctione; scribendum enim non *αὕτη τοίνυν* sed *αὐτὴ τοίνυν*. Interpungendum commate post *τοῖς γαμοῦσιν*, non ut in plerisque editionibus post *ἀναμίξασι*; nam duo illa participia *καταχεαμένοις καὶ ἀναμίξασι* non simpliciter antecedenti *γαμοῦσιν* appositione adiuncta sunt, sed ita ad infinitivum *ἡγεῖσθαι* trahenda, ut totum illud enuntiatum *εἰς μίαν οὐσίαν . . . μηδὲν ἀλλότριον* quasi appositione adiunctum accuratius explicet, quid sit *αὐτὴ κοινωνία*.

p. 143 a (cap. XXXIV).

οὐχ ἵνα μηδενὸς μεταλαμβάνωσιν ἀλλ' ἵνα πάντα κοινὰ νομίζωσιν.

Fortasse post *μεταλαμβάνωσιν* non nulla exciderunt velut *τῶν ἀλλήλων, μετ' ἀλλήλων* vel aliquid eius modi, quod ægre hic desideratur.

p. 144 d (cap. XLIV).

ἐπεὶ τοίνυν ταῦτα πάσχουσιν οὐ μυριζομένων τῶν ἀνδρῶν ἀλλὰ συγγιγνομένων ἑταίραις, ἄδικόν ἐστιν . . . μὴ . . . ἁγνοὺς καὶ καθαρεύοντας ἑτέρων συνουσίας προσιέναι ταῖς γυναιξίν.

Parum apte in re tam manifesta criticorum munere functi sunt editores. Usque ad Wyttenbachium omnes tacent; is primus intellexit, non consentaneum esse, altero loco *ἑταίραις* scribere, altero *ἑτέρων*. Sed nescio quomodo etiam priori loco *ἑτέραις* restituendum esse perperam statuit. Hunc Duebnerus in sec. edit. Hercherus, Bernardakis tacite secuti sunt; et ex eorum silentio colligi potest scripturam *ἑτέραις* saltem in uno codice exstare. Mihi dubium non est, quin procul a vero erraverint viri illi docti, et non modo retinen-

dum sit ἑταίραις, sed etiam in fine capitis ἑταιρῶν scribendum. Nemo enim, qui mores et vitam Græcorum bene cognovit, nescit, quam difficile et periculosum fuerit honestas corrumpere feminas. Hoc igitur Plutarchus non ut rem communem et vulgarem commemorare potuit, nec qua erat religione tam leviter castigare; cf. huius lib. p. 144 b *διὸ δεῖ μάλιστα τούτῳ χρῆσθαι μετ' εὐλαβείας τὸν ἄνδρα καὶ τὴν γυναῖκα, τῶν ἀνιέρων καὶ παρανόμων πρὸς ἑτέρους ἁγνεύοντας ὁμιλιῶν.* In meretrices vero verba eius optime cadunt (comp. locutio *ἡδονῆς ἕνεκα μικρᾶς*). His non raro etiam mariti utebantur et de eius modi amoribus Græci minime severe iudicabant; cf. Schömann Griech. Alterth. I p. 549—550 ed. 3; Hermann Gr. Antiq. IV p. 252—256 ed. 3; Plut. Moral. p. 12 b, p. 150 b; Lysiæ defensio pro cæde Eratosthenis. — Eandem correctionem recte adhibuit E. Rasmus[1]) in libro de Stoic. repugn. c. IV (p. 1034 a), ubi vulgo scribitur *ὥσπερ εἴ τις τὴν γαμετὴν ἀπολιπὼν, ἑτέρᾳ δὲ συζῶν καὶ ... παιδοποιούμενος ἐξ ἑτέρας κτλ.*

Τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον.

p. 146 e (cap. II).

πλὴν ὑπενόει πρόβλημα δεύτερον αὐτῷ κομίζειν ἐν βιβλίῳ κατασεσημασμένον.

Ni fallor hic sine exemplo dicitur *πρόβλημα-ἐν βιβλίῳ κατασεσημασμένον*, neque enim ipsum *πρόβλημα* sed epistolam

---

[1]) Conf. Bursiani Jahresberichte XXVI p. 57—58.

(βιβλίον) [1]), in qua illud perscriptum erat, rex obsignaverat. Scribendum igitur *ἐν βιβλίῳ κατασεσημασμένῳ*.

p. 147 b (cap. II).

ταῦτα γάρ, εἰ καὶ πάνυ προσποιοῦνται διαφέρειν οἱ βασιλεῖς τῶν τυράννων, οὐκ εὐμενῶς ἀκούουσιν.

Duo commemorantur in superioribus dicta Thaletis, quibus exagitantur sævi tyranni. Ad hæc igitur refertur pronomen; sed vix credendum est, Plutarchum dicere voluisse, hæc non alia ægro ferre reges; scilicet omnia similia, quibus maiestatem suam minui putant, iis displicent. Recta sententia restituitur scribendo *τοιαῦτα γάρ· κτλ.*, vel, quod Gertzius præfert, *τὰ τοιαῦτα γάρ*. Simile librariorum erratum occurrit in libello de pueris educ. p. 8 d, ubi mendum correxerunt Meziriacus et Emperius [2]), et huius lib. p. 160 a. [3])

p. 147 d (cap. II).

τὴν δ'ἀσφάλειαν ἀγαπῶντας ἄνευ τοῦ καλοῦ προβάτων ἔδει πολλῶν καὶ ἵππων καὶ βοῶν ἄρχειν, μὴ ἀνθρώπων.

Πολλῶν valde friget; recta ratio simpliciter *προβάτων* flagitat. Intellexit hoc, quod reliquos editores fugerat, Hercherus; sed, ut erat manu promptus, temere vocabulum hoc molestum ex oratione eiecit, quanquam vix quisquam demonstret, cur addiderit hoc interpolator aut quo errore natum sit. Recentissimus editor Bernardakis, ut in re desperata, omni se abstinuit coniectura. Mihi lenissima

---

1) Cf. Plut. Cæsar. cap. 65 s. fin (p. 738 f).
2) Cf. Emperii opusc. p. 323 ed. Schneidewin.
3) Cf. mea annotatio ad p. 160 a.

correctione apta sententia restitui posse videtur; suspicor enim, Plutarchum scripsisse *προβάτων ἔδει πόλεων καὶ ἵππων καὶ βοῶν ἄρχειν, μὴ ἀνθρώπων,* i. e. ‚. . . in pecorum civitatibus . . . non in hominum regnare debebat'. Similitudo fortasse a Platone sumpta est, cf. eius apol. Socratis cap. IV (p. 20 a—b).

p. 148 f (cap. III).

Θρασύβουλον γὰρ ἐν ἐμοὶ τὸν πέμψαντα προπηλακίσαι βουλόμενος καὶ καταβαλεῖν ὡς δὴ περιορῶν δῆλός ἐστιν.

Herchero assentior equidem, locum corruptum esse, cum, quantum scio, nusquam in prosa oratione nisi forte apud Herodotum (comp. Herod. VII, 224) *ὡς* pro *ἅτε* ponatur, sed remedium, quod adhibet, delendi verba *ὡς δὴ περιορῶν,* omnino improbabile mihi videtur; in hoc mecum consentit recentissimus editor Bernardakis, a quo intacta relinquuntur. Facilius et probabilius sensus restituitur pro tradita scriptura *καταβαλεῖν ὡς δὴ περιορῶν* ita scribendo: *καταβαλΕΙΝ, ΔΕΙΝῶς δὴ περιορῶν,* i. e. ‚utpote qui eum vehementer neglegat'; suffragantur huic emendationi et litterarum similitudo et frequentissimæ codicum nostrorum maiores minoresve lacunæ. *Δεινῶς* valet vehementer, cf. locus prorsus similis libelli de recta ratione audiendi cap. XVI (Mor. p. 46 d) *(νέου) ἀνελευθέρου τινὸς δεινῶς.* Verbum *περιορῶ* interdum nullo addito participio accusativum regit; cf. Plut. Mor. p. 30 f et vit. Marcelli cap. XIV (p. 305 f), ubi passiva forma occurrit *(μηχανικὴ . . . περιορωμένη πολὺν χρόνον ὑπὸ φιλοσοφίας).* Post verba *δεινῶς δὴ περιορῶν* et ante ea commate interpungendum, quippe quæ argumentum afferant, unde colligi possit *ὅτι προπηλακίσαι βουλόμενος δῆλός ἐστιν.*

p. 149 a (cap. III).

οὕτως ἡ περὶ σὲ διὰ τὸν τόπον ἀμαύρωσις ἢ ταπείνωσις γένηται.

Sic prave libri; Hercherus et Bernardakis *οὕτω περὶ κτλ.* scripserunt, hanc emendationem Wyttenbachio tribuentes, cum ipso Wyttenbachio teste[1]) Reiskius auctor eius sit, qui re vera non *οὕτως περὶ* sed *οὑτωσὶ περὶ* vel *οὕτω καὶ* scribi iussit. Halmius[2]), qui et ipse Reiskii correctionem ignorasse videtur, aliquanto probabilius et aptius *οὕτω δή* scribendum esse censuit.

p. 152 a (cap. VII).

. . . *ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν καὶ ξενίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινητοὺς εἶναι.*

Sic libri; iam Wyttenbachius ‚*μὴ κινητοὺς* maluit', in animadv. idem *μὴ μετακινητοὺς*; neglecto hiatu Th. Doohnerus Herchero teste *ἀμετακινητούς* coniecit; hunc ex parte secutus ipse Hercherus, ut hiatum tolleret, *ἔφησεν ἀμετακινητούς* in editione sua posuit; Bernardakis alteram Wyttenbachii coniecturam (*μὴ μετακινητούς*) specie probabiliorem in textum recepit. Valde dubito, hæcine mutatio necessaria sit vel potius omnino ferri possit. Voluitne re vera Solo leges non mutari posse? Immo mutandas eas non illico sed tempore intermisso censuit, cf. Herod. I, 29; Plut. Solon. cap. XXV init.: *ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκε*; etiam *νομοθέται* ab eodem primum instituti esse feruntur; cf. Schömann Griech. Alterthümer I p. 413 ed. 3. Huc accedit quod sequentia: *καὶ ἐγὼ* . . . *πολιτείαν* sensu carerent,

---

[1]) Vid. annot. eius crit. ad h. l.

[2]) Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1842 p. 1039.

si Doehnerum reliquosque sequeremur; nam si Solo Lycurgum auctorem et exemplum in legibus mutandis habuit et ‚leges mutari' non fas est, apte scriptor Chilonem ipsum dicto illi, quod iniuria ei tributum erat, opponentem facit, ‚prius Lycurgum, quippe qui rem publicam Lacedæmoniorum funditus mutaverit, cum ipsis legibus repudiandum esse'. — Retinenda igitur tradita scriptura. Verbum *μετακινητός*, de quo Reiskius dubitasse videtur, exstat etiam apud Thucydidem V, 21 s. fin.

p. 152 a (cap. VII).

δεύτερος δ' ὁ Βίας εἶπεν · εἰ τρόποις χρῷτο τοῖς νόμοις τῆς πατρίδος (scil. *μάλιστ' ἂν ἔνδοξος γένοιτο*).

Codices nostri *εἰ πρῶτος* præbent, quod mihi coniectura librarii esse videtur, cui displicuit obscurum illud *τρόποις*, quod exstat apud Stobæum (Floril. 48, 47). Wyttenbachio iudice[1]) scriptura *τρόποις* »non caret acuminis probabilitate, *si legibus patriæ ita assuesceret, ut iis pro moribus ipse uteretur*'; me iudice caret hæc explicatio et acumine et probabilitate. Præterea Hercherus *ἀτρέπτοις* scribendum esse censet, Bernardakis, quod specie veri similius, sed hic pariter sensu cassum est[2]), *ἀτρόποις*, cum *χρῆσθαι τοῖς νόμοις ἀτρόποις* nihil aliud significare possit nisi ‚uti legibus immutabilibus, habere leges immutabiles'[3]), nullo modo id quod sensus requirit ‚legibus ita uti, ut eas non tollas vel mutes'. Fortasse sic scripsit Plutarchus: *εἰ ἐπιτρόποις χρῷτο τοῖς νόμοις τῆς πατρίδος*, i. e. ‚si (in re publica administranda) legibus

[1]) Vid. animadvers. eius ad h. l.

[2]) Vid. annotatio mea ad p. 135 a (pag. 133—34).

[3]) Cf. Madv. Synt. Gr. § 12 et § 19 ann. 1, et exempla, quæ a Plutarcho sumpta citat Wyttenb. in animadv. ad Mor. p. 77 e.

patriæ ministris utatur' vel sine imagine ‚si non per vim neque arbitrio suo sed legibus patriæ servatis civitatem regat'. Lex hoc loco non minus apte *ἐπίτροπος* appellatur quam paulo infra (p. 152 d) *ἄρχων*; nam in civitate libera penes leges summa potestas est, uno viro regnante leges tantum valent, quantum illi placet, ut, si species legitima administrationis servatur, recte lex per similitudinem ministri vices explere dicatur; comp. Herod. III, 38 pr. fin. *καὶ ὀρθῶς μοι δοκέει Πίνδαρος*[1]) *ποιῆσαι νόμον πάντων βασιλέα φήσας εἶναι.* — De structura comp. Madv. Synt. Gr. § 19 ann. 1; hiatus *(εἰ ἐπιτρόποις)* nullam habet offensionem, vid. Schellens l. l. p. 13.

Gertzio codicum scriptura *(πρῶτος)* veri vestigia servasse videtur, suspicatur enim sagaciter, librarium perperam *άτος* (i. e. *πρῶτος*) pro *αὐτός* legisse.

p. 152 b (cap. VII).

καὶ ὁ Αἴσωπος οἷον ἐλεγκτικῶς ‚*ἔδει τοίνυν' ἔφη* ‚*τοῦτο καθ' ἑαυτοὺς περαίνειν κτλ.*

ἐλεγκτικῶς Turn., Vulc., Bong.; reliqui prave *ἐλεγκτικός* præbent. — Miror, neminem adhuc in his offendisse: numerum pluralem pronominis reflexivi tertiæ personæ interdum pro reflexivo et primæ et secundæ personæ poni notum est[2]), sed neque pronomen *ἑαυτούς* hic, quo referatur, habet, nec facile quidquam auditur; itaque suspicor intercidisse post *τοίνυν* pronomen *ὑμᾶς*. Prave Xylander, ut ex interpretatione eius apparet, audit *ἡμᾶς*; nam hoc loco pronomen ‚nos' necessario omnes convivas complectitur; ita

---

[1]) Vid. Pindari carm. ed. Boeckh. II, 2 p. 640.

[2]) Cf. Krügeri Gr. Gr. § 51, 2, 15 et Wyttenbachii Lexicon Plut. s. v *ἑαυτόν*.

autem reprehensio Æsopi friget. — Apte locum interpretati sunt Amyotus et Kaltwasser.

p. 152 f (cap. VIII).

Ἆρ' οὖν ἀπεκρίνατο καὶ διέλυσε τούτων ἕκαστον; Οὕτως' ὁ Νειλόξενος ἔφη· κρίνετε δ'ὑμεῖς ἀκούσαντες'.

Responsum Niloxeni manifesto ostendit, intercidisse aliquid in interrogatione antecedenti. Scripsit sine dubio Plutarchus *Πῶς ἆρ' οὖν κτλ.*

p 153 f (cap. X).

ἀκούομεν γὰρ ὅτι καὶ πρὸς τὰς Ἀμφιδάμαντος ταφὰς εἰς Χαλκίδα τῶν τότε σοφῶν οἱ δοκιμώτατοι ποιηταὶ συνῆλθον.

Antiquo illo tempore omni arti et scientiæ sine ullo discrimine sapientiæ nomen datum est, præter ceteros autem poetæ sapientes appellabantur, cf. Athenæi Deipnosoph. XIV, 632 c *τὸ δὲ ὅλον ἔοικεν ἡ παλαιὰ τῶν Ἑλλήνων σοφία τῇ μουσικῇ μάλιστα εἶναι δεδομένη.* Hoc Plutarchus certe non ignoravit, verum tamen vix dicere potuit *τῶν τότε σοφῶν οἱ δοκιμώτατοι ποιηταί,* cum vocabulum *σοφός* notionem multo latiorem complectatur quam *ποιητής.* Scripsit sine dubio *τῶν τότε σοφῶν οἱ δοκιμώτατοι συνῆλθον.* Vocabulum *ποιηταί* interpretamentum erat in margine adscriptum, quod lectoribus explicaret, cuius generis fuissent nobilissimi illius ætatis sapientes; inde incuria vel errore librariorum in orationem Plutarchi translatum est.

p. 156 a (cap. XIII).

ὁ Χίλων ὀρθῶς' ἔφη Αἴσωπος ἠμύνατο, μικρὸν ἔμπροσθεν ἐπιστομισθεὶς ὑφ' ἡμῶν, εἶτα νῦν ὁρῶν ἑτέρους τὸν Μνησιφίλου

λόγον ὑφηρπακότας'. — ἔμπροσθεν recte codex B; vulgo ὄπισθεν.

Chilonis verba illustrant fabulam paulo ante ab Æsopo narratam, qua se ipsum cum lupo comparaverat, reliquos autem convivas cum pastoribus: ut hi idem faciunt, quod in lupo indignati sunt, sic illi nunc alium (Mnesiphilum) interpellant, id quod in Æsopo reprehenderunt paulo ante (cf. p. 152 d). — Miror autem editores *ἑτέρους*, quod certe corruptum est, intactum reliquisse. Nulla enim erat Æsopo querendi causa, quod omnino alii id impune facerent, propter quod paulo ante castigatus esset, sed quod ipsi illi convivæ, qui paulo ante se castigassent, tum idem peccatum in se admitterent; hæc querendi iusta ei causa erat, nec ullam aliam interpretationem fabula eius admittit. Sine dubio cum Gertzio post *ὁρῶν* pronomen *ἡμᾶς* aut inserendum aut audiendum est; reliqua fortasse sic emendanda sunt: . . . *ἑτέρου[ς τὸν Μνησιφίλου] λόγον ὑφηρπακότας.*

p. 158 d (cap. XV).

δεινὸν μὲν οὖν, ὦ ἑταῖρε, καὶ τὸ γεωργίας αὐτῇ. διαλυομένη γὰρ αὖθις ἀπολείπει γῆν ἡμῖν ἄμορφον καὶ ἀκάθαρτον κτλ.

διαλυομένη in plerisque libri exstat; *διολλυμένη* in T, V, B; idem Bernardakis in editione posuit fortasse melioribus auctoritatibus nondum vulgo cognitis fretus; utrumque ferri potest. Ceterum totum hoc caput præcipue initio misere lacunis maioribus minoribusque abundat, quo vitii genere etiam ea verba, quæ supra descripsi, laborant; nam commemorasse Cleodorum excidium agriculturæ, ea quæ proxime sequuntur *(διαλυομένη γὰρ κτλ.)* manifesto ostendunt. Intellexit hoc Xylander, qui vel propter structuram mendosam parum probabiliter: *γεωργίας. διαλυομένης γὰρ αὐτῆς*

αὖϑις ἀπολείπει scribendum esse censuit. Non minus perperam Reiskius scripturam codicis Petaviani *γεωργίας αὐτῆς. διαλυομένη κτλ.* genuinam esse putavit; Wyttenbachius Plutarchum . . . *γεωργίας. αὕτη γὰρ διαλυομένη* scripsisse suspicatus est. Omnibus his correctionibus obstat, quod non *τὸ γεωργίας δεινόν ἐστι,* sed ea hominum condicio, quæ efficitur sublata agricultura. Præterea Cleodorus omnes convivas appellat [1]), non solum Solonem, ut fortasse pro *ἑταῖρε* scribendum sit *ἑταῖροι.* Ipsam lacunam sic fere explendam esse censeo: *δεινὸν μὲν οὖν, ὦ ἑταῖροι, καὶ τὸ γεωργίας αὐτῇ* (scl. *τῇ τροφῇ*) *συναποστερεῖσϑαι. διαλυομένη γὰρ αὖϑις ἀπολείπει γῆν ἡμῖν ἄμορφον κτλ.* Latine sic vertendum: ‚certe hoc miserum est etiam agricultura simul cum eo (scil. cibo) privari'.

p. 158 f (cap. XV).

‚*ἐκεῖνο δ' οὐ λέγεις' εἶπον, ‚ὅτι καὶ τὸν ὕπνον ἅμα τῇ τροφῇ συνεκβάλλομεν'.*

Vulgo sed parum apte post *συνεκβάλλομεν* ponitur interrogationis signum, quod certe puncto commutandum; nam cum iam, omnibus audientibus, peroraverit Cleodorus (*Κλεοδώρου διαλιπόντος*), interpellator recte dicere potest: ‚hoc vel illud omittis', interrogare, num hoc vel illud non commemoret, absurdum est. Si futuro, non præsenti, tempore (*λέγεις*) usus esset Plutarchus, recte signum interrogationis poneretur.

p. 159 e (cap. XVI).

. . . *ὅπως τράπεζαι καὶ κρατῆρες ὦσι αἱ Δήμητρι καὶ Κόρῃ ϑύεται ἔτι.*

---

[1]) Vid. finis capitis *ἡμεῖς μὲν οὖν κτλ.*

θύεται ἔτι in omnibus libris Wyttenbachii, Duebneri, Hercheri præter Petavianum, in quo *θύονται ἔτι* exstare videtur; scire velim, unde sumpserit Bernardakis illud *θύωεν ἔτι,* quod ut librorum scripturam in annotatione critica posuit. Si re vera auctoritate fide digna hæc scriptura nititur, non dubito, quin recte idem vir doctus, Hercherum secutus, scripserit *καὶ Δήμητρι-θύωμεν.* Si minus, credo multo veri similius esse, Plutarchum scripsisse *καὶ Δήμητρι-θυσίαι.* Vocabula *ΘΥCΙΑΙ* et *ΘΥЄΤΑΙ* in codicibus litteris uncialibus scriptis valde similiter exarabantur; *ἔτι* dittographia natum est ex initio vocis sequentis *(ἕτερος).*

p. 160 a (cap. XVI).

οἶμαι γὰρ εἰς τοσαῦτα βλέψαντα τὸν Ὅμηρον ἀποδείξει κεχρῆσθαι κτλ.

τοσαῦτα vix ferri potest; Pflugkius *ταῦτα* scribendum esse censuit[1]); verum non hæc ipsa sed similia Homerum spectasse Solo credit; quare *τοιαῦτα* restituendum est, cf. annot. mea ad p. 147 b.

p. 160 b (cap. XVI).

ἐκ ταύτης γὰρ αἱ νόσοι συντρεφόμεναι τοῖς σώμασιν οὐκ ἔλαττον ἐνδείας κακὸν ἔχουσι τὴν πλήρωσιν.

Sic Harl. 1 et 2; reliqui *συστρεφόμεναι.*[2]) — Locus, ni fallor, sensu caret; absurdum enim est dicere, morbos repletionem cibi non minus malum habere quam inediam. Scribendum certe *ἐκ ταύτης γὰρ αἱ νόσοι συντρέφονται τοῖς*

---

[1]) Vid. Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1848 p. 890.

[2]) Vid. animadvers. Wyttenb. ad h. l.

σώμασιν, οὐκ ἔλαττον ἐνδείας κακὸν ἔχουσι τὴν πλήρωσιν. ἔχουσι est dativus pluralis participii nomini antecedenti *(τοῖς σώμασιν)* appositione adiuncti, quod cum fugeret librarium, *συντρέφονται* in *συντρεφόμεναι* mutavit.

p. 160 b (cap. XVI).

ἀλλ' ὥσπερ εἰ διαποροῖεν αἱ Δαναΐδες, τίνα βίον βιώσονται . . . ἀπαλλαγεῖσαι τῆς περὶ τὸν πίθον λατρείας καὶ πληρώσεως, οὕτω διαποροῦμεν ἡμεῖς, εἰ γένοιτο κτλ.

Condicio *(ὥσπερ εἰ διαποροῖεν)* absurda est et nexum verborum prorsus turbat. Scribendum *ἀλλ' ὥσπερ ἂν διαποροῖεν αἱ Δαναΐδες . . . ἀπαλλαγεῖσαι τῆς πληρώσεως, οὕτω διαποροῖμεν ἡμεῖς εἰ γένοιτο κτλ.* Ad verbum *διαποροῖμεν* auditur ex superioribus particula *ἄν,* cf. Madv. Synt. Gr. § 139 a s. fin.

p. 163 a (cap. XIX).

μέμνημαι δὲ καὶ . . . ἀκούσας σωτηρίαν τινὰ κόρης ὑπὸ δελφῖνος ἐκ θαλάττης γενέσθαι λεγόμενον ἀκριβῶς . ἀλλ' ὁ Πιττακὸς ἐπιγιγνώσκει δίκαιός ἐστι περὶ τούτων διελθεῖν.

Manifesto hæc corrupta sunt. Recte Wyttenbachius *ἐπεὶ γιγνώσκει,* perperam *λεγομένην ἀκριβῶς* scribendum esse censuit. Liceat in memoriam revocare emendationem viri egregii, quæ mihi quoque in mentem venit, quam omnes editores repudiasse valde miror. Ipsa enim verborum sententia docet, Halmium verum vidisse, cum statueret, ordinem verborum turbatum esse, et Plutarchum scripsisse: *ἐκ θαλάττης γενέσθαι . ἀλλ' ὁ Πίττακος, ἐπεὶ γιγνώσκει τὸ λεγόμενον ἀκριβῶς, δίκαιός ἐστι κτλ.* [1]).

---

[1]) Vid. Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1842 p. 1039.

p. 163 d (cap. XX).

κύματος γὰρ ἠλιβάτου περὶ τὴν νῆσον αἰρομένου καὶ τῶν ἀνθρώπων δεδιότων ἀπαντῆσαι, μόνον θαλάττῃ ἕπεσθαι πολύποδας αὐτῷ κτλ.

Hunc verborum ordinem, non *ἀπαντῆσαι δεδιότων* habent editiones recentiores Hercheri et Bernardakis, nec dubito quin verus sit. — Lacunam primus signavit Wyttenbachius, qui eam audacius sic explet: *μόνον ἐκβῆναι τῆς θαλάττης καὶ κτλ.* Certe errant Duebnerus et Bernardakis cum lacunæ signum post *μόνον* ponunt, nam exstat vestigium eius manifestum hiatus inter verba *θαλάττῃ* et *ἕπεσθαι.* Ego sic suppleo: *καὶ τῶν ἀνθρώπων δεδιότων, ἀπαντῆσαι μόνον θαλάττῃ »τὸν Ἔναλον καὶ« ἕπεσθαι κτλ.,* i. e. ‚narratum est . . . cum ceteri timerent, Enalum solum (sine comite) mari obviam ivisse cet.'. Articulus in vocabulo *θαλάττῃ* non desideratur, cf. Madv. Synt. Gr. § 8 ann. 2 a et huius lib. cap. XIX s. fin. *ἐκ θαλάττης γενέσθαι.* Neque tamen negaverim fieri posse, ut tantummodo interciderit coniunctio *καί* inter *θαλάττῃ* et *ἕπεσθαι,* nam Enali nomen ex oratione antecedenti facile auditur. Bernardakis in ‚Symbolis' hoc commendat supplementum: *μόνον ΘΑρρήσαντος τοῦ Ἐνάλου προσελθεῖν τῇ ΘΑλάττῃ. ἕπεσθαι,* in editione sua hoc: *μόνῳ θαρρήσαντί τῷ Ἐνάλῳ προσελθεῖν τῇ θαλάττῃ ἕπεσθαι;* utrumque mihi non magis quam Wyttenbachii supplementum probatur.

Περὶ δεισιδαιμονίας.

p. 165 f—166 a (cap. III).

εἶτ' ἐξαναστάντες . . . οὐδ' ᾔσθοντο ὅτι τῶν ταραξάντων οὐδὲν ἦν ἀληθινόν, ἀλλὰ . . . ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν, εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες λέγοντας κτλ.

Verbum *ταράττουσιν* ferri non posse intellexit Hercherus, primum enim interiectis verbis *καὶ δαπανῶσι* vix audiri potest ex superioribus ad *ταράττουσιν* pronomen *ἑαυτούς*: deinde friget altero loco perturbationis iterata commemoratio, cum certe animo perturbati sint, priusquam pecuniam solvunt.[1] Hactenus igitur Hercherum sequor, sed quod idem vir doctus coniecit scribendum esse *καὶ σπαθῶσιν*, parum habet probabilitatis. — Fortasse scripsit Plutarchus *καὶ δαπανῶσιν καταράτους τινὰς εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες λέγοντας*. Conf. de significatione adiectivi *κατάρατος* Plut. Pericl. c. VI; Moral. p. 5 b; de verborum ordine comp. Madv. Synt. Gr. § 80 c; Krüg. Gr. Gr. § 68, 4, 2; eiusd. annot. ad Thuc. I, 3, 4; Xen. Anab. II, I, 11; Demosth. VI, 8; Plut. Pelop. cap. XVI; Moral. p. 147 a. Verum cum non negari possit, præpositionem in prosa oratione admodum raro inter adiectivum et substantivum interponi, fortasse rectius locus sic emendatur: *καὶ δαπανῶσιν εἰς καταράτους τινὰς ἀγύρτας κτλ.* Fieri potest, ut omissa præpositio ante *καταράτους* ipsa causa confusionis et corruptelæ fuerit.

Restat, ut, antequam scribendi finem facio, maximas gratias agam duobus viris doctissimis M. C. Gertzio et O. Siesbyeo, quorum ille sententiam suam de compluribus locis mecum communicavit, hic in toto libro et emendando et perpoliendo summo opere me adiuvit.

[1]) Comparentur verba illa: *ὅτι τῶν ταραξάντων οὐδὲν ἦν ἀληθινόν.*

ADDENDA.

Pag. 98 (p. 90 f).

Rectius fortasse Siesbyeus *καιρὸν παρασχόντος* scribendum iudicat, ut *εν* ex *ειν* ortum esse putetur ac deinde, cum præpositio esse videretur, pro dativo accusativum effecisse.

Pag. 141 v. 11—12.

Scriptum oportuit: cum, quantum scio, nusquam apud Plutarchum *ὡς* pro *ἅτε* ponatur. Nam apud alios scriptores hic illic exempla huius usus particulæ *ὡς* exstant, ut ex iis apparet, quæ Christensen-Schmidtius in Nord. Tidskr. for Filol. N. R. II, 148 exposuit, exemplis usus magnam partem a Siesbyeo collectis, quibus hic iam addi iubet Thuc. I, 68; Xen. Cyrop. IV, 5, 21; Pl. Apol. 19 c.

Errata ante usum libri emendanda.

	Scriptum est:	Scriptum oportuit:
P. 10 ann. 2 v. 1	Goett.	Gott.
- 32 v. 9	*τῶ*	*τῷ*
- 39 - 7 ab imo	Athisthene	Antisthene
- 64 ann. 3 v. 5	appellatur	appellatur
- 68 v. 9 ab imo	*εἰσάογυσιν*	*εἰσάγουσιν*
- 72 - 13	*τῆ*	*τῇ*
- 88 - 4 ab imo	scripulus	scrupulus
- 96 - 10 ab imo	*θροσείας*	*θρασείας*
- 124 - 1	*το βίον*	*τὸ βίον*

